

n.° 2

SCHEMA
SACRÆ
CONGREGATIONIS
Sancti Officij Romani.





SCHEMA
ILLVSTRE, ET GENVINVM
Sacræ Congregationis Sancti Officij Romani
Cum Elogijs Eminentissimorum
Principum Cardinalium
ET COROLLARIO
De infallibili auctoritate Summi Pontificis in Mysterijs Fidei proponendis, ac eiusdem
Controuersis decidendis.

Ad Catholicorum documentum, & Hæreticorum tormentum.

DEDICATVM
Illustrissimo, & Excellentissimo D.
D. BAPTISTÆ NANIO
EQVITI, ET PROCVRATORI S. MARCI
Splendidissimo.

AVCTORE
P. M. FR. FRANCISCO
A. SANCTO AVGVSTINO MACEDO
Ordinis Minorum Obseruantium Lusitano, Lectore
Iubilato, Publico Professore Patauino,
Veneto Ciue.

Hic Tomus est XLVII. Auctoris.



Patauij, apud Cadorinum, MDCLXXVI.
Superiorum Permissu.

Illuſtriſſimo, ac Excellentiſs. D.

D. BAPTISTÆ NANIO

Equiti, & Procuratori S. Marci; & pro Pace vniuerſali à Sereniſſima Veneta Republica Plenipotentiario deſignato.



Vem optare mihi iure deberem, qualemque ſperare vix poſſem patronum, eum mihi contigit inuenire Venetijs, in Vrbe non minus doctrinarum & virtutum domicilio, quàm opum, merciumque emporio, generis, litteraturæ iudicij, religionis, honoris, gratiæ, fortunæ bonis omnibus excellentem. Hunc eſſe te, Illuſtriſſime, ac Excellentiſſime Baptiſta Nani, non modò tuorum, inter quos habitas, quique te penitùs norunt conſenſus ciuium, ſed etiam externorum, ad quos Reipublicæ cauſa diuertiſti, aſſenſus planè confirmat. Et quidem Familiæ is ſplendor eſt, vt ingenti antiquarum imaginum fumo ſe prodat, & originem

nube

nube inuoluat, & indagantium aciem fatiget. Quod tamen latet in origine, in ornamentorum ſerie apparet. Extant laticlauia, trabeæ, prætextæ, chlamides, paludamenta, tiaræ, cydares, lemniſci, purpuræ, quæ aceruum glorioſum conficiunt. Sunt hæc decora pacis, ac belli, quæ Maiores tui domi, foriſq; egregiè geſta Republica, quà Toga, quà Sago Illuſtres compararunt. In hoc tu apice collocatus, Baptiſta Nani, proprijs ita micas virtutibus, vt ſplendorem acceptum hebetes, & in atauos eam lucem refundas, qua longè clariùs illuſtrentur. Vnus tu, ſi nouus venires condere ſtirpem poſſes. In hoc es mirabilis, quòd tua nouitas eſt omni tua antiquitate nobilior. Debes maioribus ſanguinem acceptum nobiliſſimum, ſed ij tibi debent redditum cum fœnore honoris. quo locupletiores euaſerunt. Quos alij iactant auos, ijs de te gloriari licet. Si virtus tua extendi poſſet, multa occuparet ſæcula, imo & æternitatē impleret. Et miramur ſi cunctis vetuſtæ Familiæ tuæ ſeculis reſpondeat? Iam vero vbertas tanta eſt, vt ex te dotes nobiliter tumultuantes exeant, & abundent, ac erumpere feſtinent in publicum. Natus quippe es ad rempublicam gerendam, & amplificandam. Sunt in te omnia ſumma, & tu quoque ſumma omnium. Ingenii acies ſubtiliſſima, vis iudicij acerrima, indoles præſtantiſſima, genius ſuauiſſimus, animus vaſtiſſimus, mens capaciſſima. Omnes in te dotes extra mediocritatem Heroicæ & ſunt, & videntur. Litteratura multiplex in Encyclopædiam itura ad orbis vniuerſi eruditionem: mores probatiſſimi; integer vitæ, purus ſceleris, honeſti appetēs, obſeruans æqui, tenax religionis, procul à vitio, idea virtutis. Tecum nata pietas domi, adoleuit in templis, & tu quoque, ob

mo-

modestiam, templi exhibes,& circumfers imaginem. Habitum corporis pro diuersitate eorum,quæ obiisti, munerum subinde mutasti. Animi semper eundem religione imbutum retinuisti. Visi sunt te ambire, qui ambiri solent honores, ac te subornare, vt à te ornarentur. In te certatim, ac effusè coniecti, & congesti in aceruum irent, nisi tu meritis distinxisses. Fuit tamen cumulus gloriosus ad fastigium vsque perductus, extantibus gradibus, quos confecisti virtutum, ne fortunæ, aut gratiæ datum culmen quisquam putaret. Properare visi honores, sed tu anteuertisti merendo,eosque tarditatis arguisti, quòd te præeuntem viderent. Igitur sequi non passibus æquis, & anhelantes moras desiderare. Vix dum Togatum non te capiebat Respublica,quæ capit mundum: sensit se habere Alexandrum in sinu. Ergo cogitauit orbem. Romam te misit cum patre Caduceatore,optimo Ciue, vt stupori ei Curiæ esses, quæ in sui admirationem externos rapere solet. Inclinare visum est tibi ingredienti triumphale culmen Capitolium. Commoueri busta Heroum prisci æui, cùm spiritus tui halitum senserunt. Inhalabas quippe illos Brutos, Manlios, Cincinnatos, Appios, Camillos, Fabios, Marcellos, Papyrios, Scipiones, Catones. Afflasti sepultos eorum cineres, qui animatùs tui opera incalescebant. Hinc Romam repetitæ Legationes, quæ perpetuæ forent, nisi patria sibi à Romana Vrbe furtum meditante timuisset. Reuocauit igitur te, & tecum maiorem,& nobiliorem Romæ partem,quam expresseras virtutibus, recepit, & traduxit in gremium. Pro hac vsura consuetudinis tuæ lucrata est Patria gigantes illos Romanos Heroas: de quibus omnibus vnus Nanus triumphasti. A te vno, sicut ab

ab vngui didicit Lupa Romana, quantus esset Venetus Leo. Scilicet Nanus solo nomine Nanus erat, re immensus. Totus vnguis, quòd totus acumen. Itaque perrexit complere orbem. Germania Pacis Monasteriensis sequestrum optauit. Oliuam intulit in congressum Columba nobilis, vt diluuium bellorum sisteret. Galliam stimulauit ardor habendi. Liuida Lilia candorem in liuorem verterunt, ac ne marcerent labe inuidiæ, te ad legationem prouocarunt. Rubescebant illa feliciter, sed viso Nano paulùm à pudore concepto rubuerunt. Quin & Aquilarum Austriacarum pinnæ ambitu plumbeo explicato Leonis Veneti iubis assurgentes, duplicato pacis osculo ad Leoninum rictum veloces aduolarunt, & quæ Solem ferebant, vix Leoninum iubar tolerarunt. Detur hoc honori Nanio, quòd cùm antea Ciues Veneti æstimarentur è pręstantia Ciuitatis, postea è Ciuis vnius excellentia æstimari cępta est Ciuitas. Beata Respublica, quæ talem ciuem tulit. Et quidem iure. Nam tantus Heros, tot dotibus clarus, tot ornamentis insignitus, tot honoribus conspicuus, tanta collecta gloria nominis in potestate Reipublicæ semper esse voluit, eiusque se nutibus addixit, vt etiam minora munera sibi imponi minimè grauaretur, ratus honori sibi fore onera, quæ à patria imponerentur. Nil sua amplitudine indignum putauit, quod è Republica esset. Pompeio Romanorum Ciuium Optimo par, qui post tres de tribus Orbis partibus actos triumphos, vulgaria sæpè ministeria pro Republica exercuit: se Magno Maior cum se deiecit. Hunc se præstitit Nanus Ciuium maximus, eoque beneuolentiam Pompeij ante Pharsaliam, quo nemo fuit Romæ gratiosior Ciuis, collegit, vt amor, & deliciæ

Vene-

Venetiarum iure appelletur. Sunt qui inter hæc munera minora numerent pactum cum Turcis de statuendis Imperij finibus. Ego vero secus existimo, qui putem hoc fuisse vnum è Maioribus. Quantæ enim prudentię, magnanimitatis, auctoritatis, constantiæ opus fuit Turcicam auiditatem frenare, & luxurianti ambitioni occurrere, & rotam perpetua volubilitate felicem clauo figere,& firmare? eique terminos præscribere, & clamare? *Huc Turca: hucusque licet.* Iosue Ducem mihi videor intueri. *Hic fecit stare Solem:* Nanius coegit stare Lunam, & prurientia in amplitudinem,& hiantia cornua implere vetuit. Itaque hoc opus in magna glorię parte ponendum. His tum virtutibus, tum muneribus, tum gestis visus est dignus, qui grauissimo Patrum iudicio Pacis communis sequester, & arbiter honorarius plenus potestate, plenus auctoritate designaretur; quo nullum maius testimoniũ Nani magnitudini reddi potest: cùm Verbum illud Diuinum Patris Æterni filius hoc sibi munus sumpserit Pacificatoris, & Mediatoris, ac eo nomine Princeps pacis appelletur. Maior itaq; humano videtur, qui prouinciam pacificandi gerit, quæ diuinam decuit maiestatem. Iure illum Veneta Respub.in corde,imo & pro corde habuit,habetq;vnde vitã hauriat.Magnæ instar illi es animæ Platonicæ. Nam totũ permeas,& peruadis animatu fæcundæ mentis corpus Reipublicæ, & in Senatu Principem agis; in quo vbi grauitate opus est, Scipionis; vbi celeritate, Marcelli; vbi cunctatione, Fabij; vbi seueritate, Catonis; vbi vtilitate, Ciceronis calculum ponis. Appium Claudium videntem repræsentas in Curia, & centum oculorum Argum ad custodiam, & tutelam Reipublicæ. Totum te accõmodas ciuibus, vt commodes Ciuita-

ti. Nihil in priuato est aut opis, aut opum, aut inge-
nii, aut doctrinæ, aut disciplinæ, aut virtutis, aut iuris,
aut iudicii, aut cōsilii, aut auctoritati, aut gratiæ, quod
non impendas in publicum. Excogitas mille artes,
modos mille seruādi, tuendi, & erudiendi tuos. Scribit
quoq; idem Heros politissimè ad gloriam Veneti no-
minis. Si eius Historiā legas, inuenies sanguinem He-
rodoti, neruos Thucydidis, venas Pausaniæ, vim Xe-
nophontis, pondus Plutarchi. Inest stylo velocitas
Sallustij, proprietas Cæsaris; grauitas Liuij maturitas
Suetonii, candor Curtii, acumen Taciti. Olet concin-
nitas dictionis vernaculę arculas & myrothecium Lati-
nę Tullianę. Phrasis pura germana Itala refutat vanę
vannus examen. Sapit puras, putasque Senas: nec se-
uera illa Crusca in hoc florido campo, vbi sola simi-
la nascitur, ius habet. Haud opus est incerniculo ad
florem farinæ ex Florentinis horreis collectæ abs te
Nani, Api Veneta matutina accommodatæ ad mel
fingendum, extra fines Tuscos; nempè, quòd inter
Insubres apud Ambrosium nascitur, & transit in Am-
brosiam nectare conditam, pręter morosas anxij exa-
minis scrupulositates, quas austera illa Academia
profitetur. Hactenus habuit Italia exēplum Historię:
nunc in tua, Nani, nacta est ideam, qua nihil excogi-
tari possit perfectius. Atquè hìc me tangit scribendi
pudor, cùm mentis aciem præstringit diuina lux, &
immortalis nitor incomparabilis tuæ, Excellentissi-
me Nani, Historiæ. Tuam ergo hic aduoco manum,
& sisto. Tute ipsum tuo describe calamo, vt idea hi-
storiæ, ideæ virtutis, qualis, quantaque in tua Excel-
lentia visitur, iustè respondeat. Tu qui verè Alexan-
der es, tibi vni Apelles esto. Vale.

BENEVOLO LECTORI.



Vm paucos ante menses transissent Patauio nobiles quidam Germani ab Vrbe redeuntes, Heterodoxi, meque pro meo singulari in Germanos studio conuenissent, inter loquendum sermo incidit de ratione administrandi Romæ Ecclesiasticam Rempublicam. Probare ij eorum, quæ viderant multa: de quibusdam ambigere. Vnum vituperare, quod sibi maximè displiceret: Sacram Sancti Officij Congregationem. Vetus hoc eorum institutum est. Oderunt quippe Sanctæ Inquisitionis munus Cane peius, & angue. Ego subridens notam excepi, nec quidquam sum aut miratus, aut commotus, qui inter eos sæpe, ac diu versatus illis querimonijs assuetus essem. Suscepto tamen consilio dicta refutaui, & Sacram Congregationem non modo defendi, sed etiam commendaui, & oblata opportunitate multa de illius tum necessitate, tum vtilitate, tum dignitate dixi, quæ illis initio minus arridebant, postea tamen placere cœperunt. Rogarunt itaque me vt vellem eaquę dixeram latiùs, & explicatiùs scribere, & scripta typis mandare, affirmantes id è Republica Christiana fore; illudque monuerunt, vt Scripturarum Sacrarum locos adhiberem, quarum illi magnam, & notitiam, & rationem se habere gloriantur; quò appareret secundùm eas esse & institutum, & regimen Sanctæ Inquisitionis, ac nihil in ea inueniri à Sacris litteris alienum. Cumque illi Cardinales de facie nossent, quòd eos sæpe ad Mineruę congregari vidissent,

statui de singulis commemorare, & breuibus conceptis Elogiis eorum virtutes commendare. Nec prætermisi Prælatos, Consultores, & reliquos quibus illud Tribunal constat, Ministros honorificè appellare. Et quoniam ij magnam de Veneta Republica, & quidem iure, opinionem conceperant, ad minuendam inuidiam Romanę Inquisitionis, adhibui exemplum Serenissimæ Venetæ Republicæ, in qua sunt Inquisitores Status, eoque nomine vocantur, & Tribunal Sancti Officii magno in pretio habetur; adeo vt vnus inter Inquisitores Patritius locum habeat, & quod palmare est, peculiare quoddam iudicium sit de blasphemiis institutum: quo eos vidi magnopere argumento commoueri. Propterea decreui hoc qualecunque est opus vni è Venetorum Patritijs dedicare. Eum autem elegi virum omnibus virtutum numeris absolutum, quique in Veneta Republica vtranque paginam faciat, qui omnibus cognitus, & probatus esset, scil cet, Illustrissimum, & Eccellentiss. D. Baptistam Nanium, cuius nomen Ciuibus est amabile, externis admirabile, Reipublicę gloriosum. Nemo verò mihi obiecerit opus Ecclesiasticum, & proprium Curiæ Romanæ viro Veneto Patritio minus congruè dedicari: nam magna est Venetæ Reipublicæ cum Romana Curia necessitudo, cùm inter se religione, pietate fide coniungantur, ac Venetijs Purpurati Patres reperiantur, & purpurarũ inter vtranque Vrbem sit Commercium, & vna purpura sæpe inuitet alteram: cùm præsertim hic Heros Romanæ Ecclesiæ cùm egregius amator, tum acerrimus vindex sit, & prisci aui Romanos mores præ se ferat. Assiduus in Templis, perpetuus in Sacris, viua appendix Altariũ & & in Conuentu Patrum Dominicanorum, quorum est proprium Inquisitorũ munus domicilium suæ pietatis constituat, ita ut in Ecclesia Sancti Ioannis, & Pauli Romanorum Martyrum, Sãcti Petri & Pauli Templorum memoriam refricet, & Romanæ Religionis imaginem repræsentet. Cumque hoc

opus

opus Germanorum rogatu, & in eorum gratiam vulgatum sit, ac inter eos Nanius ita Legationem obierit, vt sui memoriam in omnium cordibus impressam reliquerit, gratum me ijs facturum putaui, si quem ij eximiè diligerent, eius nomini opus consecrarem. In quo pietatis, & officij rationem habui: nam & suauiùs erudiam, & faciliùs inuidiam extinguam: quòd nemo sit opinor futurus, qui audito patroni nomine, librum audeat vituperare. Menstruum opus hoc est, verùm à me vacuo accuratè compositum, & contentis studiorum neruis, & corrosis interdum vnguibus elaboratum. Vale.



NON

NOI REFORMATORI
dello Studio di Padoua,

HAuendo veduto per fede del P. Inquisitore nel libro intitolato Schema Nobile, & Genuinum Sacræ Congregationis S. Officij Romani del P. Macedo Minor Osseruante, non esserui cosa alcuna contro la S. Fede Cattolica, e parimente per attestato del Secretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi; concedemo licenza à Giacomo Cadorino di poterlo stampare; osseruando gl'ordini, &c.

Dato 10 di Luglio 1676.

(Aluise Mocenigo Proc. Ref.
(Siluestro Valiero Kau. Pr. Ref.

Gio. Battista Nicolosi.

Licentia Reuerendiſs. Patris Generalis Ordinis S. Franciſci
IOSEPHI XIMENEZ
Semeniego Hiſpani.

CVm iuxta Apoſtolicas, & noſtri Ordinis Coſtitutiones, reuiſum, & approbatum fuerit quoddam Opus à te cōpoſitum, cuius Titulus eſt Schema Nobile, & Genuinum Sacræ Congregationis Sancti Officij Romani; Tenore præſentium, ad ſalutaris obedientiæ meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus (ſeruatis ſeruandis) illud typis mandare poſſis. Vale in Domino ſemper.

Datum Romæ die 1. Iulii Anni 1676.

Idem Generalis.

Si-

Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Cant. 4.

CAPVT I.



Ptum sanè, ac Illustre Symbolum. Turris enim ista Dauidis Catholicæ Fidei rem continet. Comparatur Collo Sacrosãctum Tribunal, quod capiti hæret; est enim à Pontifice secundum: cuius sensus accipit, & reddit: ita commissum, vt ei omnia Pontificis sensa committantur. Huic capiti succollat simul, & colit. Erecta hæc Turris à Propheta Principe, cui omnia fuerunt mysteria Fidei reuelata, quæ in Psalmis suauem, & mirabilem concentum efficiunt. Vtriusque Testamenti harmoniam dixeris. Propterea librum Psalmorum inter omnes veteris testamenti libros excellere Patres auctores sunt, inter quos Augusti-nus in procemio. Eminebat Turris Dauidis in monte; hæc in Septimontio. Eminet hoc Sanctissimum

Tribunal in Eminentiis. Hærent sibi, & concinunt Turris,& Collum. *Turris fortissima* Collum, vt ait Lyra hoc in loco *rectum*, *& constans*. Prima eius virtus fortitudo, ob firmitatem fidei; non flectitur gratia, non læditur vi, temnit opes, non cedit potentiæ; Inexpugnabilis. *Muniens*, inquit glossa, *propter fortitudinem. In manu Christi fortis*, ingerit Interlinealis; est quippe Christi manus *fortissima*. Sic dicitur Deuter. 3. & Iosue 4. *Fortis in Christi nomine*, quod Prouerb. 18. appellatur *Turris fortissima*. Rectè *muniens Ecclesiam*, vt inquiunt ambæ Glossæ: ne quid ab hostibus violentiæ inferatur; ne quid ab insidiatoribus fraudis irrepat. Itaque nec blanditiis cedit, nec succumbit armis, nec capitur auro. Turris Christi, non Acrisij, fidem puram, & incorruptam seruat inuiolata custodia. *Decenter* vox est Lyræ, vti decet Virginem sponsam Christi. Tota *ad tutelam* comparata *Fidelium*, vt interpretatur Glossa interior. Iterum *Turris*, & *Collum, quod protenditur*, inquit Ordinaria, *ad hostium de longe speculationem*. Vigilat, & præuidet insidiosas machinas hæreticorum, fundata *super lapidem Christum, in quo septem oculi sunt* ad vigilandum in Argo lapideo. Præterea secundum Glossam Ordinariam significat *Contemplationem Cælestium*, in qua figit mentem hoc Sacrosanctum Tribunal à mortalibus curis, & negotijs alienum. Humana non curat dum iudicat, nec aut lucro, aut spe, aut ambitione, aut gratia mouetur.

Illud insuper obseruat glossa, & quidem acutè. Collũ *cibos in corpus demittere*. Nempe: Diuini Verbi pabulum acceptum à capite, subactum, & præmansum dentibus controuersiarum, non sine sapore, ac succo doctrinæ ad Ecclesiæ corpus traiicit, quo alitur, &

au-

augetur, & viuit. Facit hic in esu Collum Turris; quod cornu Vnicornis in potu; purgat cibos, & probat, nequid incidat virulentum. Adiicit eadem: *Collum corpus capiti iungit*: nam istius Sacrosancti Tribunalis opera corpus Ecclesiæ suo capiti Papæ annectitur, & adhęret; quod qui præcidere conantur hæretici, & Schismatici sunt à capite separati. Nullum iustius est argumentum Fidei, quàm huic Collo coniungi, nullum certius hæreseos, quàm ab illo disungi. In caput recidit, quod huic Collo vulnus infertur. Propugnacula quæ sint, exponitur à Glossa Ordinaria, & Lyra: *Diuina Scriptura*, quæ & conseruant fidem, dum tuentur, & arcent hostes, dum iaculantur. *Infringibiles*, inquit Glossa *sententia diuina auctoritate nixa, quæ hęreticos percutiunt*: *quibus de longe ab incursantibus se defendunt*. Est quippe Fides similis virginitati, quæ tantò est securior, quantò ab hostibus remotior: separata defenditur, vicinia corrumpitur, propinquitate extinguitur: nulla vtriusque tutela præsentior, quàm longiquitas. Hoc est munus Sancti Officii: arcere, ac remouere Schismata, & Hæreses, ne pestilenti halitu puram fidei auram à Spiritu Sancto inspiratam inficiant. Nemo ausit comminus breuibus armis congredi, sed aut eminus longis confligere, aut ex longinquo iaculari. *Mille clypei pendent ex ea*. Non satis est Turris ad munimentum: additur & munitio Clypeorum; duplicata defensione, vt tela iniecta refutentur. In tutamento salus. Enses hic nulli, quia momentum est in clypeis. Digladiari, ac disputare de fide periculosum: munire se auctoritate Scripturarum oportet eum qui credit. Clypei, omne genus est armorum: *Omnis armatura fortium*. Ad Principes Eminentissimos huius Tribunalis dicit Isa. 20. *Surgite*

Principes, arripite Clypeum, nulla facta de gladio mentione. Eo Clypeo in altum elato corruit urbs Hai sedes hæreticorum: quod facinus patrauit Iosue audito Dei Oraculo: *Tolle Clypeum qui in manu tua est*; Iosue 8. Propterea Fides in scutum transit apud Paulum Ephesiorum 6. *Sumentes Scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Omnia sunt in scuto diuinæ auctoritatis. Gladiis non est opus: nam argumenta, & rationes ad scientiam pertinent, quæ euidentiam postulat. His armantur hostes contra fidem: stringunt gladiolos, & pugiunculos ratiuncularum: quibus in eosdem conuersis iugulandi sunt. Facilè quippe suismet armis perimentur; qua ratione Dauid Goliath ipsius gladio interfecit. Hoc est Schema *Colli Turriti*: quo Schemate SacroSanctum Officii Tribunal exprimitur.

Verùm, est quod moretur contentionem dicendi, & me à proposito dicentem auertat, locus Canticorum 1. *Collum tuum sicut monilia*. Quorsum enim ista monilia, quæ ad phaleras, & delicata ornamenta pertinent? & ab armis aliena sunt? Imò cōtrà apta, & congruentia: nam *Arma decent humeros*: armant, & ornant: sunt munimenta, & ornamenta. *Clypeis aureis* decorauit Salomon Regiam Paral. 12. *Refulsit Sol in Clypeos aureos* Machab. 6. qui splendore suo illuminabant milites, & fulgore terrebant hostes. In eodem libro c. 15. narratur Legatos Iudæorum Romam attulisse *Clypeum aureum* dono Romanis, militare ornamentum. Armis aureis pugnabat Glaucus, eaque Diomedes concupiuit: Vir totus ferreus. Quid? quod *Argyraspides* in acie Macedonum noscitabantur. Saul, & Ionathas 2. Reg. 1. *Decori*, & strenui indicantur. Æneas apud Virg. *Suras incluserat auro* auidus pugnæ.

Chlo-

Chloreus aureus in exercitu fulsit, & incendit Camillam agrestem bellatricem spoliorum amore. Turni bellacis Clypeum Io aurea decorabat. In Æneæ magnanimi scuto Leucates aureus, & Delphines argentei alliciebant oculos, & præstringebant. Pallanti, & Euryalo bellicosis adolescentibus aureæ in armis bullæ cordi fuerunt. Non abhorrent à Clypeis monilia, imo decent Clypeos: quod textus indicat vsus verbo *pendent ex ea*, ex Collo, cui quadrat monile, quod à Collo in pectus iniectum pendet instar monilis, ad decorem, & venustatem. Nec opponas Herculem ferocem Leonis pelle terribilem, indutum incessisse, ac horruisse, & istas armorum delicias repudiasse. Nam hic ferus, & ferreus, monstro, & feræ proprior, quàm viro, natus ad monstra debellanda ferinis se spoliis efferabat. Maiore vi Æneas obiicitur, pius, & intra pietatem fortis, *quem fulua Leonis Pellis obit totum præfulgens vnguibus aureis*. Admitto, ac retorqueo. Pellis Leonina Martius erat habitus, cooperiebat Æneam, & armabat. Retinebat quippe vngues, & aurum in vnguibus præferebat. Pellem asperabant vngues, eiusque mollitiem castigabant: aurum exornabat vngues, vt arma decoraret. Subtiliter. Ubi erant arma Leonis, ibi erat aurum. Fulgebat, & horrebat aureis vnguibus: quà fouebat corpus hirta, & hispida; quà feriebat hostem splendida, & aurea. Soli vngues armati, & aurati. Rectè quadrant monilia in Collum armatum. *Collum tuum sicut monilia*. Ille Angelus Apocalypsis 1. *similis filio hominis* totus spirabat Marte. Altè præcinctus, animosus, igneus oculos, niueus caput, rigidus vestem, æneus pedes, exerebat gladium ancipitem ex ore vibranti, ceu inhalaret vulnera. *De ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat*, nonnisi

cruentus

cruentus rediturus, Habebat vero *in dextera stellas septem*. Cur Stellas? non lucida sydera, sed fulmina lurida. Decebant minacem manum. Sydera collucent, & alliciunt crepero splendore oculos: conniuent, nictant, annuunt familiariter, non feriendo, nec præstringendo, nec vstulando. Ea virtus erat in specie; quæ significabat astra esse arma; quæ simul essent tormenta hostium, & ornamenta personæ. Arma in astra, & astra in arma commutantur: Clypei in monilia, & monilia in clypeos abeunt. Verè Monilia, Torques, quòd torqueant hostes, & torquendo decorent bellantem. Monent in eodem esse tormentum, & ornamentum. Nec mea hęc libera, vel suspecta interpretatio est, sed Glossæ Ordinariæ, à qua ista monilia colli sponsę ad collum turritum applicantur. Ita exponit locum Monilium ad cap. 1. Cant. *In Collo doctores. In monilibus doctrina, & opera quæ docent. Per collum cibos traijcimus. Doctores verbo instruunt, & cibum salutis in commissa sibi membra transfundunt, quæ moni libus comparantur.* Eodem antea modo iuxta eandem Glossam propugnacula, & arma è collo turrito pendentia exposuimus. Nec Lyra dissentit, qui *iocalia aurea, & argentea* ad speciem, & ornamentum comparata intelligit. En quò recidunt clypei, & arma turris Dauidicæ cap 4. eminentis. Ad rem. Sacrosancto isto Tribunali nihil est in Ecclesia speciosius, nihil munitius. Splendidum est ob lucem doctrinæ, munitum ob constantiam fidei, cuius Præsides Eminentissimi Patres decorant Ecclesiam Illustri nobilitate, multiplici litteratura, insigni virtute, muniunt consilio, auctoritate, constantia, coniuncta cum pietate iustitia, quemadmodum postea exponemus.

1. Superest alia monilium interpretatio. Animaduertendum

tendum Monilia catenulas esse aureas, hamata annulorum serie continenti filo ductas, eoque cohærentes, quæ in bullam auream, & gemmatam desinentes è collo pendent, ac inde in pectus demissa consistunt, & bullam in medio pectore, vbi cor residet, constituunt. Quæ deductio, & positio diuinum quiddam continent in rem nostram. Etenim monile catenatos eos, quos ornat, reddit; eo documento, vt seruos se, ac mancipia fidei esse profiteantur, in cuius obsequium intellectum captiuant. Bulla verò cordi respondet, quia Fides, & si virtus intellectiua sit, pendet tamen à corde, idest pia affectione voluntatis, sine cuius affectu nec incipit, nec procedit. Oportet quippe, vt quis credat præcedere Sanctam voluntatem, quam piam affectionem dicunt, quæ est anima fidei. Et quamquam pars illa pectoris sit vltima situ, prima est sensu. Est quidem inferior loco, sed superior affectu. Si rem attendas, à capite ad cor descenditur; si mysterium, à capite ad cor ascenditur. Altiores sunt cogitationes mentis affectibus cordis, & illę priùs cordis affectus mouent, sed in virtute fidei cogitationes Sanctæ mentis sequuntur pios cordis affectus. Declarauit hoc Christus Lucæ vltimo illis verbis, *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?* *Descendunt*, dicerent alij. At Christus nouè, ac mysticè dicit *ascendunt*. Nam vbi de rebus Fidei agebatur ascendere ad cor cogitationes debebant, ut pręcederet affectio voluntatis cogitationem intellectus. Priùs amandum, posteà credendum. Cor origo Fidei: in corde fons, in mente riuus. Intellexit hoc Paulus 1. Corint. 2. *Nec in cor hominis ascendit.* Itaque apud eundem Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam.* Mallet vulgus *mente*: Paulus contrà *Corde*. Sciebat ibi fieri

initium

Initium Fidei. A Paulo didicit Concilium Tridentinum seſſ.6.c.5. *Tangēte*, inquit, *Deo cor hominis*. Hinc eſt vt cor ipſum fiat capax doctrinæ. *Cor docibile* petit Salomon 3.Reg.3. *Dederat Deus Sapientiam in corde eius* 2. Paral. 9. *Sapiens corde*. Iob. 9. *Aſcenſiones in corde ſuo*. Pſal.83. *Cogitauerunt in corde*. Pſal. 39. *Sapientia requieſcit in corde*. Prouer.14. *Dedit mihi cor vt ſcirem*. Eccl.1. *Dabo cor vt ſciant*. Hierem.24. *Tardi corde ad credendum*, Luc.vlt. Cor in doctrina Fidei vtramque quodammodo paginam facit. Amor quippè doctor eſt, ac magiſter. Mirum. Quòd cum verbum diuinum Filius Dei ſit ſapientia Patris, & veritatis prædicandæ gratia miſſus in mundum Ioan.19. *Ego ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*, tamen Spiritui Sancto docendi munus commiſit: *Ille vos docebit omnia*. Redempto mundo abiit in Cœlum, è quo miſit Spiritum Sanctum Magiſtrum, vt doceret. Itaque Redemptorem egit, Doctoris munus Spiritui Sancto remiſit. Hoc patuit in Aduentu Spiritus Sancti, qui linguarum ignearum myſterio, & miniſterio ſe prodidit, faſſus magiſtrum ſe eſſe, doctores conſtituens Apoſtolos, Laurea capiti impoſita, contexta ex ignibus vocalibus Actor. 1. *Apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquam ignis ſuper ſingulos eorum. Innumeris linguis*, ait Eccleſia, *apparuit*. At illa capita inſederunt, non pectora. Fateor. Sed ignis indicabat non ad mentem, ſed ad cor pertinere, vbi ardet ignis amoris. Erudita lingua erudiebat cor, dum accendebat amorem. Faces erant calami, ignis atramentum. Cor præbebat papyrum. Spiritu Sancto Magiſtro ſtetit Eccleſia. Omnia Concilia dicuntur à Spiritu Sancto inſpirata: huic veritates Catholicæ tribuuntur. Columba Spiritus Sancti in Pontificis auribus

nidulatur,

nidulatur, & quòd aurium sensus est Fidei, per eum mentem, & cor afflat Spiritus Sanctus. Nec aliena sunt à collo Columbæ monilia, quæ in eo picturata colorum varietate formantur, miro delicio, & lenocinio oculorum, vt nihil sit in Schemate Colli, quod iustę interpretationi non respondeat.

Huius SacroSancti Tribunalis necessitas, vtilitas, dignitas.

CAPVT II.



Ecesse est vt veniant scandala. Matth. 18. *Oportet & hæreses esse* 1. Corinth. 11. Propterea Ecclesia vigilat, ne contingant: prouidet ne existant; si quæ verò insurgant, opprimit ne serpant: extinguit ne noceant. Currus ille Ezechielis, qui fuit Ecclesiæ symbolum, & rotis, & oculis abundauit. Ezech. 1. *Omnia plena sunt oculis*, vt in toto decursu Ecclesiæ semper oculi ad vigilandum præstò essent. In eo item curru erat ignis ad purgandum, & puniendum. Hoc est Sacrosancti huius Tribunalis munus: prouidere ne nascantur hæreses, & punire auctores si oriantur. Hinc tot propugnacula in prouinciis Catholicis ab hac Turri deriuata, quæ sunt Tribunalia priuata, huic Generali subdita, in quo Turris est collum, quod hæret capiti Summo Pontifici; vnde virtus exit, quò redit. Hæc Romana Inquisitio suprema dicitur, & Mater aliarum omnium Inquisitionum,

uum. Hoc enim nomine appellantur, quòd inquirunt in hæreses latentes: quæ clam, & in tenebris esse amant, vt ocultentur, & impunè grassentur. Est enim hæresis, de qua dicitur à Dauide Psalm. 90. *A negotio per ambulante in tenebris*. Quapropter hæreses vulpibus paruulis Spiritus Sanctus cõfert Cant. 2. *Capite*, inquit, *nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*, idest, hæreticos. & schismaticos, ait Glossa Interlin. qui callidi sunt, & latere volunt, quod etiam acutè obseruat Bernardus ser. 63. in Cant. ne appareant, quia conspici, & prodi perire est. Idcirco plena sunt illa tribunalia oculis, ut deprehendantur, & capiantur. Verbo Inquirendi vsus est Deus Deuteron. 17. cum Moyse loquens ad detegendos eos, qui à se vero Deo ad castra idolorum, Dæmonumq; deficerent: quales tunc erant Iudæi, & nunc sunt hæretici. & schismatici. Est autem Verbum honestum, ac decorum iudiciale, & forense, resonatque iustitiam: propterea Inquisitor in Tullio, & Inquisitio reperitur. Sacrum est item nomen Inquisitio. Act. 12. Christus hoc officium suscepit, quem ideo cognitorem Augustinus appellat tract. 33 in Ioan. Deus primus fuit Inquisitor cùm Genes. 3. primum parentem reum absconditum inquisiuit, illum de crimine admisso interrogauit. Quid? quòd in Paradiso prima Inquisitio instituta, ne quis obscurè natam existimaret. Quin & cap 4. Genes. iterum inquisiuit in Cain, & c. 11. in ædificatores Turris Babelicæ, & cap. 18. in Sodomitas. Tam est hoc ministerium nobile, vt non dedignetur Deus ad illud obeundum de Cælo descendere. *Descendam*, inquit, *& videbo*. Idipsum Christus indicauit. Marci 14. Cum enim loqueretur de suo in mundum, iudicandi causa, aduentu disertè ait: *Videbitis Filium hominis à dextris virtutis Dei, & ve-*

& venientem. Scitè dixit prius *sedentem* indicando dignitatē sedentis illo supremo loco, & postea aduentum ad iudicium, ut significaret quantum esset illud munus, ad quod præstandum se ex apice tantæ maiestatis demitteret. Propterea in Altari Apocalyp. cap. 1. Cognoscit, & examinat causas Episcoporum Asiæ, quos appellat *Angelos*, eosque reprehendit, & punit. Itaque non modo Paradiso Terrestri illud ministerium, sed etiam Altari dignum significauit. Illud tamen mirabilius apparet, quòd septem Spiritus Dei Apocal. 4. Erant *ante Thronum* Dei, qui etiam in capite 5. dicuntur *oculi Agni, habentis oculos septem*, scilicet dilectos vt oculos, & in pupillis habitos, ob amorem, & æstimationem. Quid quæris? hi ipsi intimi, amati, pretiosi dicuntur ibi cap. 5. *Missi in omnem terram* oculorum vagantium more ad speculandum, ad inspiciendum, ad inquirendum, ad inuestigandum si quid inuenirent dignum emendatione, & punitione. Erant in *oculis* apud thronum in capite Agni Filii Dei, & tamen *missi in terram*, quasi nihil interesset inter illam fruitionem, & istam Inquisitionem: perinde erat mitti, ac frui: inquirere, & beari. In vtroque par honos, æqualis beatitudo. Falluntur qui putant Eminentissimos Patres, nobilissimos Principes, oculos Ecclesiæ, pupillas Summi Pontificis, eius throno adhærentes quando conueniunt ad Inquisitionem criminum hæreseos, & Schismatis, quidquam amittere de dignitate, de maiestate. Eam conseruant integram, retinentque illibatam, vt perinde sit descendere, ac eminere, inquirere, & beari. Quod ipsum reperitur in Angelis. Cur? & quorsum? dixit Christus Matt. 18. cùm de Angelis Custodibus puerorum ageret, *Angeli eorum semper vident faciem Patris* quid opus

 erat

erat hac sententia? Nequis scilicet exstimaret Angelos aliquid de sua dignitate, & beatitudine amittere, dum puerorum custodiam, & curam suscipiunt, & gerunt. Norint omnes, inquit Christus, Angelos in custodiendis pueris nullam facere iacturam, vel gloriæ, vel dignitatis, vel beatitudinis: *semper enim vident faciem Patris*, vt intuendo in pueros, in faciem Dei videantur intueri. Quod si summi Angeli agentes paruulorum custodiam, qui sunt Ecclesiæ filij, tam longe sunt à iactura, multò longiùs erunt ab ea Principes Cardinales, cùm Ecclesiam illorum matrem custodiant.

Affero quiddam, & opinor, congruentius. Petrus vertex Apostolorum; & ipse in vertice Ecclesiæ collocatus initio sui principatus in Ananiæ, & Saphira coniugum peccatum inquisiuit, & reos morte condemnauit Act. 5. Erudiit nos de necessitate, ac vtilitate, ac dignitate Sanctæ Inquisitionis Officii, vt Hæreticorum, & Schismaticorum ora oppilaret. Facit huc quòd prima huiusce Sanctæ Inquisitionis fundamenta iecisse videtur Papa caput Ecclesiæ in Sancto Dominico Illustrissimi sanguinis Domino, vt à personæ nobilitate argumentum claritudinis officii sui meretur. Inquisitor ille, & euersor hæreticorum fuit, ac vt honestiùs & vtiliùs id munus præstaret Magister Sacri Palatii Apostolici primus institutus. Huic successit Dominicana familia nomine à Patre cum doctrina, & virtute accepto. Ea primas hac in re habuit, Et quidem iure, cùm in partibus habeat Facem, ac Stellam Dominici, & Solem Thomæ, qui cùm sit Doctor Angelicus Thomistas suos Angelos reddit, vt sint custodes Matris Sanctæ Ecclesiæ, Angelis omnino similes, vt inter cæteros mortales homines, ipsi

immortales Angeli videantur. Imo & Angelis officio digniores, quippe qui Ecclesiam seruant, cùm Angeli seruent paruulos. Hinc iis honores facti ad tradendam, & tuendam Fidem apti, & congrui assignati, qui supremi habentur inter priuatas interiores Ecclesiæ dignitates. Itaque illi Magistri Sacri Palatii Apostolici, Commissarij Sancti Officij Generales, Secretarij Congregationis Indicis eliguntur. Ex eorum familia pars Inquisitorum sumitur, quòd istud munus in hæreditatem acceptum Sancti Petri Martyris Sanguine confirmarunt. Illud palmare est pro Dominicanorum Patrum meritis argumẽtum, quòd nullum est Tribunal Sancti Officij in Orbe Catholico etiam ex iis, quæ summa sunt, & suprema, & generalia dicuntur, quod non aliquem Fratrum Dominicanum inter Principes, & inter capita non admittat. Singulari eius Ordinis gloria, qui vniuersum Orbem tum doctrina, tum virtutibus illustrat. Nimirum *Solem suum sua Sydera norunt*. Verùm pro Sancta Societate Dominici, & Francisci diuisum est hoc munus à Summo Pontifice, & in eius partem vocati filii Francisci, videlicet Patres Conuentuales, qui multis Tribunalibus sunt Præpositi, & quidẽ iure. Decebat enim, vt qui duo à Christo ad sustinendam Ecclesiam Lateranensem delecti, & qui à Virgine Matre simul Christo ad auertendas lanceas cõtra mundũ intentas, oblati fuerãt, eadem prærogatiua fruerentur. Quamquam enim hæc sacra hæreditas iure quasi dominij Dominico deberetur, decebat tamen vt virtute Sanguinis Crucifixi, cum plagis Francisco impressi, ad Franciscanos etiam perueniret; cùm præsertim Ordo Patrum Conuentualium paribus penè doctrinæ, & Sanctimoniæ luminibus fulgeat, & Seraphica Bo-

nauenturæ Sancti Thomæ coætanei, & familiaris vestigia sequatur: vt vnus, & alter Ordo intra Hierarchias Angelorum maneat. Quòd si Sanctus Thomas Solem gestat in pectore, Bonauentura ignem habet in corde: Sanctus Thomas monili ornatur, Sanctus Bonauentura annulo insignitur: ita ut Ordo Dominicanus comparetur monili, Conuentualis annulo, cuius hodie P. Laurea, insignis Doctor, gemma est. Ac ne Inquisitores præsentis temporis præterire silentio videar, præstantissimos duos inter cæteros honoris causa nominare volo. Alterum P. Thomam Mazza Dominicanum Inquisitorem Genuæ: alterum P. Oliuerium Thegium Conuentualem Patauii: Sanctæ duo Sydera Sedis, ingenio doctrina, pietate præstãtes. Eminet vero caput Dominicani Ordinis in celso dignitatis fastigio collocatum P. Generalis Io. Thomas Roccabertus omni præconio maior, ad sacrum imperium splendore sanguinis natus, doctrinis, ac virtutibus factus, quarum omnium eum animatum compendium dixeris. Accidit Sancto Dominico, quod Iosepho Patriarchæ contigit. Dederat ei Iacob Pater ob singularem prærogatiuam optimam partem hæreditatis extra sortem Genes. 48. his verbis. *Dabo tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & in arcu meo.* Hæc pars erat propria Iosephi, iure extraordinario, & militari Castrensi. Verùm etsi ad Ephraim Primogenitum ventura esset, legimus tamen eam cum Manasse communicatam. Id coniicitur ex loco Apocal. 7. vbi in partem hæreditatis cælestis venit Manasses; nam ibi nominatur *tribus Ioseph*, non vero *tribus Ephraim*. Ponitur expressè *ex tribu Ioseph*, cum antea positum sit *ex tribu Manasse*. Quare appellatur tribus Ioseph, non tribus Ephraim

in

in partitione hæreditatis cælestis? scilicet quia voluit significare Scriptura, in partem Ioseph vtrunque filium venisse, iure societatis. Hæreditas propria erat Ephraim, communicata est tamen Manasse fraterno iure societatis, idque Ioseph, proprio expresso nomine, indicauit. Ita quamuis Sancto Dominico propriè Inquisitio conueniret, & quodam quasi iure hæreditario deberetur, admittendus tamen erat Franciscus iure Societatis. Præsertim cùm illa participatio similis esset participationi Manassis à fratre germano Ephraim, eam quippe prerogatiuam Cancellatis manibus à Iacobo duo fratres acceperant, quod mysterium Crucem Christi repræsentauit. Non poterat autem à beneficio per Crucem collato Franciscus excludi, cum ipse Crucifixi expressa imago esset, & Christum Crucifixum ad viuum repræsentaret. Gaudeat igitur Dominicus priuilegio Inquisitoris iure quasi sanguinis hæreditario. Gaudeat item Franciscus iure repræsentationis, cum Christum Dominum repræsentet. Maneat dominium penes Dominicum, vsus tamen, qui non pugnat cum mendicitate Francisci, ad Fratres Franciscanos transmittatur.

Apparet autem huius Tribunalis necessitas, & vtilitas in eo, quòd illud maximè horrent hæretici Fidei hostes, & Schismatici Charitatis inimici. Oderunt illud cane peius, & angue. Sciunt suorum errorum esse securim; securos se ea vigente, & stante esse non posse. Timent quippe à Sacris iudicibus deprehendi, emendari, puniri. Similes sunt Hebræis rebellibus, qui iudices pati non potuerunt. Reges optabant, vt liberiùs, licentiùs, inhonestiùs viuerent. Post Iosue à Ducibus ille populus regebatur, & quidem iustè, pro-

spere,


ſperè, ac feliciter, vt conſtat ex libro Iudicum. Erant quippè Iudices Dei Vicarii, quemadmodum Deus ipſe teſtatus eſt lib. 1. Reg. c. 8. *Dixit Dominus ad Samuelem: audi vocem populi tui, non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Maluere tamen illi Regem, Iudicibus excluſis. *Conſtitue nobis*, inquiunt, *Regem*. Volebant quippe redire *ad vitulos aureos*. Iudices nolebant, quia coercebant, & frenabant licentiam laſciuientium, & crapulam, & idololatriam meditantium. Hinc eſt quòd Chriſtus puniturus Iudæos, qui Templum profanabant, *fecit flagellum de funiculis*, Ioan. 2. vt ſignificaret eos effrenes eſſe, funibus legum conſtringendos, & tanquam ſtultos vinciendos. Huiuſmodi vinculis tenebantur tempore Iudicum; à quibus ligabantur, & coercebantur: ſic enim eos Iudices gubernabant, vt etiam Inquiſitores eſſent. Hinc timor populi diſſoluti, ac rebellis. Ergo exarſerunt amore Regum: *Conſtitue Regem*. Non timebant à ſceptris Regum. Calamos iudicum metuebant. Malebant pulſari ſceptro, quàm damnari calamo. Hoc apparuit in eo euentu accuſationis Adulteræ, quam Phariſæi damnari capiebant. Accuſant apud Chriſtum Ioan. 8. & quidem vnanimes, & conſtantes. Mirabili tamen euentu. Cùm vidiſſent Chriſtum inclinatum ſcribere in terra, ſtatim abierunt *Vnus poſt vnum*, inquit Euangeliſta. Quare? quòd Chriſtum viderant ſcribentem *ſcribebat in terra*, nempè timuerunt inquirentem Iudicem, & ſententiam ſcripto proferentem. Vno digito ſcribebat Chriſtus. Qui non timerent ab armis Regis, ab vno digito Iudicis timuerunt. Talis item extitit Rex ille impius Balthaſar Daniel. 5. Qui viſis *articulis manus hominis in pariete ſcribentis* contremuit, timore perculſus Iudicialis ſenten-

tiæ. In vtroque loco Ioannis, & Danielis inuenitur expressum *Digiti* nomen. Cum virtute: nam digitus, index est, & Inquisitor, & demonstrator rerum, & quæ sunt deprehensa indigitat,& notat. Vnde metus hæreticis, qui notari, & designari timent, & occultari, ac tenebris inuolui putant, & curant. Præterea digitus symbolum est Spiritus Sancti, qui *Digitus paternæ dexteræ* ab Ecclesia appellatur, qui apud Inquisitores dum munere inquirendi, & iudicandi hæreticos funguntur, habitat, illudque munus digito exercendum consecrat. Hunc ergo digitum mirè timent, & detestantur, & execrãtur hæretici: præcisum malunt, quòd intentum, & in se directum nolunt. Exemplo sit Hæresiarcha Lutherus. Arma Caroli inuicti Imperatoris non timuit, timuit verò inermem digitum Caietani Inquisitoris. De Sacra Inquisitione rectè, ac verè dicitur *Digitus Dei est hic*.

Testantur hanc necessitatem, & vtilitatem Sanctæ Inquisitionis, illæ Catholicorum in Orbe Christiano, prouinciæ, quæ Sacrę Inquisitionis Tribunalia receperunt: quales sunt Italia, & Hispania, quæ huius beneficio fidem puram, & religionem immaculatam seruant, & nunquam hæreses admiserunt, quod magna ex parte Inquisitorio muneri accepto referendum est. Quod si aliqui Iudæi inter Catholicos occulti manent, in eos seuerissimè inquiritur, & aut corriguntur, aut expelluntur, aut comburuntur. Ita Religio viget, floretque, nec vnquam aut nutabit, aut ruet: dum hæc Arx Cælestis tuta, erecta, inuiolata manebit.

Iusta, & apta in hoc Sacrosancto Tribunali seruari solita proponitur forma Iudicij: eaque multis, ac illustribus sacrarum litterarum testimonijs confirmatur.

CAPVT III.



NStitutum Diuina prouidentia Sacrosanctum hoc Inquisitionis Tribunal, vti Schema in Sacra Scriptura nactum est, quod hactenus exposuimus, ita & personæ illius, ac ministri aptum, & idoneum in iisdem Symbolum inuenerunt. Equidem in Leuitis mihi videor videre illud adumbratum. Etenim tres erat Ordines Leuitarum, qui in Tabernaculo curam suam, operamque ponebant, Caatithę, Gersonitæ, Meraritæ, qui sæpe in libro Numeri occurrunt, ac ibi obseruant cum Lyra, & Abulensi interpretes. Primus continebat Sacerdotes, & Leuitas ad quos pertinebant Sacrificia, & vasa Tabernaculi cum Arca Testamenti, & interior supellex Sacra. Ad secundũ Gersonitarum spectabant vtensilia exteriora mollia, & portatu facilia: ad tertium attinebant reliqua

liqua instrumenta duriora, & grauiora minus nobilia: sicuti habetur c. 1. lib. Num. Itaque supremi erant Caathitæ, quibus respondent Eminentissimi Cardinales: secundi Gersonitæ: quorum munus conuenit Consultoribus: Tertii Meraritæ, qui adumbrant Qualificatores.

Nobilius tamen occurit symbolum expressum in Ordinibus Angelorũ. Quorum tres esse Hierarchias deducimus ex libris Sacris; vnde eas sumpsit Dionysius Areopagita libro de Cælesti Hierarchia, & Gregorius Magnus hom. 34. in Euangelia, & Sanctus Thomas Doctor Angelicus 1. p. q. 108. Totidem Hierarchiæ in hoc Sacrosancto Tribunali repeiiuntur ordine, & dignitate similes, diuersa tamen illuminandi ratione. Nam inter Angelos fiunt illuminationes superiorum erga inferiores iuxta Dionysium c. 3. & Sanctum Thomam 3. p. q. 106. & Scotum in in 2. q. 2. Inter Inquisitores verò fiunt iudicationes, quarum prima, & remota pertinet ad Qualificatores, quæ est remotior. Secunda ad Consultores propior, & maturior. Tertia certior, & vicinior Dei Vicario, ad quem pertinet definitio. Ab infima est probatio. A secunda examinatio. A tertia & summa electio. A capite definitio. Sed prima Hierarchia multò est nobilior, quia constat ex Cardinalibus, qui dici possunt illuminare alios quatenus deliberant ea, de quibus alii consultauerunt, & deliberata referunt ad Summum Pontificem ab eo definienda.

Est verò inter alias Inquisitiones extra Romanam Curiam, & hanc Vrbanam, & supremam mira quædam, & suauis harmonia ex sacris litteris petita Exodi 18. Quòd sicuti Moyses grauiora negotia suscipiebat, & suscepta cum Deo conferebat relictis minus

C 2 gra-

grauiibus, & ad inferiores remissis: ita & Summus Pōtifex cum Cardinalibus, qui vnum corpus cum eo efficiunt, causas maioris momenti sibi assumunt, cęteras inferioribus Magistratibus decidendas relinquunt: quibus si contingat maius aliquid, & grauius iudicando, ad supremum Tribunal referuant. Nec mirandum his gradibus ad culmen iudicii ascendi: etenim in iudicando oportet vti Consultatione, & examine personarum, ac rerum, nequid vel diligentiæ, vel fidei desideretur. Hinc est quod Dauid Psal. 84. dixit: *Veritas de terra orta est*: de terra, non de cęlo. Quorsum? quia ascendendo de terra ad superos gradatim ventura erat, vt iustitia de cœlo perspecta veritate rectè iudicaret, vnde addidit, *Et iustitia de cœlo prospexit.* Agebantur causæ mortalium in terris degentium. Oportebat in terris inquiri, & inueniri veritatem secundum quam iudicium ferendum erat. Si enim veritas in cœlo esset, quomodo in iudicium venire posset? Nec tamen propterea natales veritatis sunt obscuri, quòd in terris positi sunt, cum veritas vbicunque sit nobilissima sit: etenim Christus veritas pura, & diuina suos in terris natales habuit factus homo. Instituta sunt autem hæc minora Tribunalia extra Vrbem in aliis Ciuitatibus, quia non poterant causæ longinquæ Romæ commodæ iudicari: ac oportebat vbi erant præsentes, ibi à præsentibus examinari, & terminari, non autem audiri de longinquo, & ex sola relatione decidi, & resolui. Iudicia humana vt sint iusta humano more, & coràm fieri debent, vt oculis probentur, & patescant. Quare filius Dei cùm sit constitutus à Deo Iudex viuorum, & mortuorum, non quatenus Deus inuisibilis, sed quatenus homo iudicaturus est mundum, imo & causa cur iu-

dica-

dicaturus sit, est natura humana non diuina, vt est apud Ioann.c.5. *Pater omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est*. Hoc ipsum ipse cōfirmauit toties in Euangelio vocando se *filium hominis*, cum se fore iudicem affirmaret. *Videbitis filium hominis, venientem in nubibus*, Lucæ 21. Marci 13. non dixit *filium Dei*, quòd illud officium iudicandi non erat proprium diuinæ naturæ, quæ visum fugit, sed humanæ, quæ aspectum fert. Nec ipse Christus cùm formam proposuit iudicandi de cogitationibus mentis, & affectibus cordis, quæ sunt interiora, mentionem fecit, quia sunt res occultæ, & vni Deo cognitæ, sed de operibus exterioribus, quæ per facta produntur, & aspiciuntur. *Dedistis mihi manducare: Dedistis mihi bibere*. Matth. 25. & reliqua, quæ sunt oculis subiecta fidelibus: quibus oculi facere fidem possunt, vt iustitia appareret. Iudex quippe iudicans, & damnans occultè, & clanculò Deum agit, non iudicem. Hæc autem iudicandi ratio iniusta est inter homines, qui sunt visibiles, & visibili modo iudicare debent. Insinuauit hoc Iob cum dixit c 19. *Quare persequimini me, sicut Deus*? Quæritur de iis, qui sicut Deus prætermisso more humano in illum inquirebant, & de illo iudicabant potius per suspiciones proprias, & incertas, quàm per probationes, & testimonia visibilia. Debebant procedere modo humano, mortalibus congruo. Persecutio illa erat, non Inquisitio; dum enim sibi attribuebant modum iudicandi diuinum sine probationibus iniustè agebant; quia non agebant humanitùs. Ne me, inquit Iob, iudicetis, sicuti iudicat Deus, qui videt renes, & corda. & intima cognoscit, cui nihil est occultum: iudicate me secundum forum exterius. Date oculis locum: iudicate sicuti homines, & ex iis quæ apparent, me conuincite.

hincite. Propterea in hoc Sacrosancto Tribunali tot fiunt examina, tot sunt iudices, tot sunt oculi, ad inquirendum, examinandum, cognoscendum, quia iustissimum Tribunal est. Magna est oculis, cum iustitia conuenientia, magna proportio. In Hieroglyfico Iustitiæ ponitur imago Virtutis cum statera in læua, & gladio in dextra manu; in cuius mucrone oculus apertus, & eminens apparet. Ne quid scilicet nisi ad oculum videatur, iudicetur. Itaque gladius sententiæ ocultatus est, & ad illum oculum statera iustitiæ reuocatur. Ille Angelus Apocal. 1. Iudicis symbolum fuit. Videamus figuram: *Ex ore eius exibat gladius ex vtroque parte acutus*: Ecce iustitię index: addidit *oculi eius vt flamma ignis*: Comitantur gladium oculi, & dirigunt vtramque aciem absolutionis, & damnationis. Exprimit autem textus oculos duos numero plurali, non vnum tantùm, vti habetur in Cant. c. 4. *In vno oculorum tuorum*, quia ad amandum satis est vnus oculus propter vnitatem amantium, at vero in iudicio non est satis vnus oculus, sed duo requiruntur propter æquitatem iudicii. Idcirco vbi Christus agebat sponsum in Canticis, vno oculo contentus erat, at verò in Apocalypsi vbi erat iudex, duos oculos requirebat, & quidem meritò; nam amor etiam cæcus diligit: at verò iustitia cæca esse nequit; vt iudicet opus ei est, non vno tantum oculo, sed duobus.

Verùm opponet quis: minus decere maiestatem tantorum Principum, adhibere minores ad consilium, & eorum expectare suffragia. Imò decet maximè, ne sola propria auctoritate causas decidere velle videantur. Deus Optimus Maximus adhibuit suos in concilium Angelos Iobi 1. *Cùm venissent Filij Dei, vt assisterent coram Domino*: scilicet ad concilium

super

super rebus Iob. Imo & Diabolum interesse voluit. *Adfuit inter eos & Satan*. Quorsum? ne quisquam, etiam malus, dummodo esset sapiens, à consultatione excluderetur. Itaque auditus Dæmon fuit, & ipsius admissum concilium. In Romano Senatu *Pedanei* Senatores erant. Perperàm. Pedibus ibant in aliorum sententiam, ceu iudicium non haberent in capite, sed in pedibus. Ineptum Senatorem genus. *Lucerna pedibus meis verbum tuum* cecinit, & quidem prudenter Dauid Psal. 118. Nempe: vt etiam pedes lucem haberent, & oculos ad videndum: nam *lucerna corporis est oculus* Matth. 6. Omnia membra debet habere iudex oculea, totus oculeus, plusquam Argus. Non poterant Summi Sacerdotes offerre sacrificia in tabernaculo sine ministerio Leuitarum, idque ad dignitatem pertinebat. Quin & intra nos exemplum habemus. Supremæ, ac nobilissimæ potentiæ intellectus, & voluntas nequeunt operari, nisi à sensibus species accipiant. Eiusmodi sunt inferiores Theologi in hoc tribunali erga superiores. Nec istud ministrandi officium caret dignitate, cùm Angeli, *Omnes sint administratorij Spiritus*, Hebr. 1. eoque nomine glorientur. Leges dare Dei est, præsertim Fidei, & in Fide: Admittuntur tamen Angeli iuxta Paulum Galat. 3. *Ordinata est per Angelos*. & Act. 7. Ore Stephani *Accepistis legem in dispositione Angelorum*. His, & similibus ministri vtendum est Vicario Dei in suo Tabernaculo ad leges ferendas, disponendas, & custodiendas: sicuti accidit Exodi 32. vbi Deus dedit Legem Moysi, quam cùm promulgasset, mandauit Leuitis, vt eam defenderent, & custodirent, nam peccante in legem populo statim Leuitarum manum aduocauit Moyses auxiliarem, *Si quis est Domini, iungatur mihi*. ibid. Quapropter

ter

ter Deus Leuitas sibi adsciuit, quòd legis tuendæ authores fuerunt, vt obseruat Abulensis cap.3.Numeri. Id significauit Lex illa Moysis cornuta in capite splendens. Cur lux illa accepta in monte cum lege in cornua formata? Scilicet Lunaris esse debuit, non Solaris. Quare? Quia Sol solus est, & solus splendet, cætera minora extinguens lumina: Luna vero comitata Stellis fert eas socias, & ministras. Inferiores quidem sunt stellæ: inter quas micat *Velut inter ignes Luna minores*: eas tamen in societatem lucendi admittit, quas Sol excludit. Iudicabit Christus mundum sedens pro ratione muneris, plenus dignitate, plenus maiestate Mat.25. *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ*; nihilominus assidere sibi facit Apostolos in sedibus tanquam socios ministerii nobilissimi. Addidit *Sedebitis & vos super sedes duodecim* ad iudicandum. *Iudicantes* Danielis 7. habetur quòd veniente ad iudicium Domino *Throni positi sunt*, vt significaretur non solum Deum fore iudicem, sed in partem iudicij alios esse vocandos. Illud pulchrum, & virtute plenum. Quid? Sicut in cęlo sunt tria Luminarium genera, ita in hoc cælesti tribunali tres item sunt Luminarium formæ. Primum & altissimum Astrorum quæ sunt in Firmamēto fixa, & immota pro innata dignitate: quales sunt Eminentissimi Cardinales Principes, super Cardines constituti. Secundum Planetarum, qui respondent Consultoribus: idcircò mobiles quia versantur in Consultationibus, in quibus est varietas, & mutatio, & diuersitas sententiarum. Tertium Phænomena, quæ non semper insunt coelo, sed adueniunt, & contingũt certis temporibus, vt lumine suo auxiliari interdum adsint, & iuuent cætera. Quales sunt Qualificatores, quorum non est perpetua

Statio,

ſtatio, nec certa conditio, ſed pro temporum opportunitate, vti ſe dant occaſiones, interueniunt, & aſſiſtunt, & toti, ac ſolùm occupantur in ſignificationibus propoſitionum, quas examinant, & quarum ſenſus inquirunt. Numerantur tamen inter Sydera, vt habetur 1.c.Genes. vbi dicitur: *Vt ſint in ſigna*, ita enim lucent, vt ſignificent, & in ſignis verſentur, & numerentur. Viden? vt quadrent in Sacroſanctũ Tribunal cęleſtia Luminaria? Adde coronidem. Tres ordines Inquiſitorum, Conſultorum, Qualificatorum tres ſunt cæli in noua Mathematicorum, in qua ego ſum, ſententia, quòd exiſtimem ſecũdum Scripturam & Patres eſſe. Primi igitur, ideſt Eminentiſſimi Cardinales, conſtituunt Cęlum Sydereum. Secundi, ideſt Conſultores, conſtituunt Cœlum æthereum. Tertij, ideſt Qualificatores, conſtituunt Cœlum Aereum. Venerare, & admirare illud Tribunal, quod ſuo iuſto complexu totam cœleſtem machinam comprehendit.



D Om

Omnes Virtutes, quę Iudices decent in hoc Sacrosancto Iudicio reperiuntur. Prudentia, Maturitas, Grauitas.

CAPVT IV.



Ihil hisce Patribus prudentiùs: nihil maturiùs: nihil grauius. Cardinales sunt, in quibus niti videntur portæ cæli. Cardinales item dicti, quòd pollent virtute Cardinali; quæ quadruplex cùm sit, Ciuitatem illam cælestem notat, quæ in *quadro posita est*. Apocal. 21. Cardinalibus verò virtutibus ornari debent, quarum vna est Regina Prudentia, quæ in iudiciis dominatur, sicut iustitia in supplicijs. Quoniam vero Prudentia propria virtus senum est, maturæ ætatis alibi Senatores eligebantur; & hìc tanquam Sacræ Senatores Curiæ eliguntur. Est enim *Corona dignitatis Senectus* Prouerb. 16. Imo Senatus apud Romanos à Senectute appellatus. Quod si aliqui iuuenes eliguntur, ij sunt graues moribus, cani virtutibus: uita enim immaculata vicem gerit senectutis, dicente Spiritu Sancto Sap. 4. *Ætas senectutis, vita immaculata*. Duplici ratione fiunt homines senes, ætate, & virtute. Illi sunt senes canis, & annis, isti moribus & dotibus: hinc

puer

puer centum annorum, & Senex paucorum? *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpisset, & duobus annis regnauit.* 1. Reg. 13. Quomodo *vnius anni* si infans non erat, nec esse poterat cùm cæpit regnare; & quomodo *duobus annis regnauit*, si multò plures regnauit? Quia in Principibus non habetur ratio ætatis, sed virtutis: tandiù Principes regunt, quandiù bene regunt. Plures annos numerat, qui plures virtutes habet. Cani enim sunt in bonis, non in annis. Hac ratione nemo non est Senex propter prudentiam, quæ Senilis prærogatiua est. Vbi pugnatur valet iuuentus: vbi iudicatur Senectus. Ideo passim in Scriptura ponitur vox *Seniores* pro iudicibus, & cum iis Scribę numerantur. *Seniores & Scribæ*, & iterum; *Scribæ & Seniores*. Scribendi quippe munus iudicia comitantur; itaque *Seniores* perinde sunt, ac iudices Exodi 3. Leuitici 4. Num. 11. ac sæpè alibi. Ipsemet Deus, qui expers est, & senectutis, & temporis, cùm obit iudicandi munus *Senex* inducitur. Apud Daniel. cap. 7. ponitur imago, & forma iudicij. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt*. In eo Antiquus dierum sedit, Deus iudex futurus senectutem induit, vt iustus iudex appareret. Sed cur dicitur *antiquus dierum*? antiquitas enim contrahitur ex tempore, quod dierum, & noctium spatijs conficitur, non autem solorum dierum? Quare igitur soli dies nominantur, noctes vero tacentur? quia noctes non conueniunt iudicijs, quæ clara esse debent, & aperta, non tenebrosa, & obscura. Dies igitur admittendus, nox excludenda: quia dies lucem affert rebus, vt benè, ac rectè decidantur. *Antiquus dierum* sit oportet iudex; palàm iudicet, non clàm, perspicuè, non obscurè. Tenebræ quippe obscurant veritatem, obtundunt iustitiam. In obscuro percelluntur, feriuntur boni, & recti, vt

cecinit Dauid, *Sagittent in obscuro rectos corde* Psal. 10. Nemo Scopum de nocte attingit. Qui sagittat in tenebris aberrat ab scopo, qui iudex non perspecta, nec explorata causa suscipit iudicium se comparat ad *Sagittandum in obscuro rectos corde*. Planè transfiget innocentes. Senex ergo, & iudex sit *antiquus dierum* exclusis noctibus tenebrarum. Versetur in die vt sagittando scopum veritatis & iuris collimet. Custos de nocte vigilet, vti bonus, & fidelis, vt referre possit Domino quid deprehendat in tenebris, an fures, & latrunculi sint, an insidiatores irrepant an hostes irrumpant? & reddat rationem domino suo interroganti *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Isa. 21. Hoc itẽ contingit Pastori, circa gregem, Custos est quippe gregis: vigilat de nocte, & querenti domino *Custos quid de nocte?* respõdeat: Lupus irruit: terrui, auerti, fugaui. Fur irrepsit, deprehendi, expuli, vulnerani. Hoc est officium Custodis vigilare de nocte. Iudicis contrà iudicare de die. *Antiquus dierum*. Præterea, vti obseruat Glossa Ordinaria c. 31. Prouerb. *In portis veteres sedebant ad iudicandum*, quæ sunt loca peruia, & patentia in media luce posita. Hac item ratione interpretatur illum locum *Nobilis in portis vir eius quando sederit cum Senatoribus terræ*, id est cum iudicibus causas decidentibus Ecce Senatores, & iudices in portis, palàm, & in bono lumine constituti. Hoc firmat locus ille 2. Reg. 15. vbi habetur: *Et mane consurgens Absalom stabat iuxta introitum portę, & omnem virum qui habebat negotium vt veniret ad regis iudicium vocabat Absalom ad se, & dicebat*, offerens se ad iudicandum. *Quis me constituat iudicem super terram?* Aptissime ad institutum. Exoriente luce, pulsa nocte, stat ad portam patentem, paratus ad excipiendos litigantes; eo se videtur proficere

ſcere ad beneuolentiam captandam ex iuſta forma iudicij, clarè, in aperto, media in luce. Et hanc ſuam beneuolentiam ſigillabat oſculo, vt veram hanc eſſe rationem iudicandi confirmaret. *Apprehendens oſculabatur ingredientes*. Verum reddidit verſum illum Dauid patris in Pſal. 84. *Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt*. Vtinam ille pacem, quam offerabat populo, ad Patrem retuliſſet. Quas primas poſt Matris Virginis manus puer Ieſus vlnas inſedit, eas fuiſſe legimus Senioris *Simeonis*, vtpote qui Sol eſt iuſtitiæ inſigno Senis locandus. Aderat *Anna* Anus ad firmandam Sedem. Notatu dignus eſt locus Lucæ 2. *Accepit eum Simeon in vlnas ſuas. Vlnas* dicit Euangeliſta, non manus, non brachia, quia *vlna* menſura eſt iuſta, & ſymbolum iuſtitiæ: ibi quieuit tanquam in centro. In Zodiaco Sol errat, & vagatur per ſigna, quòd non eſt Sol iuſtitiæ. At Chriſtus qui eſt verus iuſtitiæ Sol in *vlna* menſuræ iuſtæ firmus conſiſtit. Rem ſenecturis continet illa viſio Ioannis Apocal. 4. vbi Deo ſedenti in throno aderant viginti quatuor Seniores aſſidentes habitu, & ſpecie Senatorum conſiliantium, quales illa dignitas exigebat. Ibi enim *libri*, & *ſigilla*, & *agnus tanquam occiſus*: omnia inſtrumenta, & ſigna iudicij. Nec obſtant citharæ, quas manibus præferebant cap. 5. *Habentes ſinguli citharas* propter harmoniam conſiliorum, in quibus concordibus animis conueniebant, vnde concentus ſuffragiorum ſuauiſſimus exiſteret. Quantæ vtilitatis ſit Conſilium Senum, & quanta pernicies conſilij iuuenum patet lib 3 Reg. c. 12 Vbi Roboamus conſilia Senum deſerens, & amplectens iuuenum placita, ruit, Præpoſterè egit. Locus eſt vulgaris, ſed aliquid in eo non vulgare obſeruemus. Omnes erant iuuenes, & Rex, & Conſiliarij, ideo

errarunt. Nam si saltem Rex ipse senex esset moderaretur iuuenes. & ijs in officio contentis non iueret. Vnde exclusa senectus, inde pulsa felicitas. Suppeditat Sacra Scriptura idonea in oppositum exempla. Apocal.4. Consiliarii Senes erant, Rex iuuenis: idque inde colligo, quòd visio sedis iudicantis, & iudicantis in sede, erat *similis visionis Smaragdinæ*, quæ viridis coloris est, qui iuuentutem, hoc est viridem ætatem repræsentat. Danielis vero 7. Rex erat Senex *Antiquus dierum*, & Consiliarij iuuenes: idque deduco ex eo quòd millia millium ministrabant ei: haud dubie iuuenes, quoniam tantus numerus Senum esse non poterat qui paucissimi sunt. Vtrobique ergo senectus, & felicitas consiliandi. Mens, & ratio, & Consilium in Senibus est. *Vis consili expers mole ruit sua* Qui velit stare, & vincere valeat consilio, & prudentia. Nestorem Agamemnon pluris quàm Achillem fecit. Priamus prætulit Polydamnata Hectori. De Romanis dicitur 1. Macab. 8. *Domuisse Orbem consilio suo, & patientia*: nulla mentione fortitudinis bellicæ: *Consilium, & patientia* Senum est. Infero quidam acutius ex litteris humanioribus. In bello Gigantæo filiorum terræ aduersus Deos, cum hi omnes ad arcendam uim accurrissent, armati describuntur; Mars gladio, Apollo sagittis, Mercurius telo, Saturnus falce, Iupiter fulmine metuendi. Vna Pallas, bellatrix Dea, solum scutum arripuit, & opposuit. Hoc viso Gigantes exteriti tremuerunt. Ausi pugnare aduersus alios, Palladi cesserunt exanimes. Causam significat Horatius Ode 4 lib. 3.

Sed quid Typhæus & validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhœtus, euulsisque truncis

En-

Enceladus iaculatur audax,
Contra sonantem Palladis ægida
Possunt ruentes?

Quod est magnopere obseruandum, vnam Gigantes Palladem timuisse, & cum ei hasta trabalis, & fatalis esset, vel illam Pallada abiecisse, vel, si tulit, nihil ab ea sibi hostes metuisse. Solum clypeum formidarunt. Quare? Dixit Horatius dum nominauit *Ægida*. Sed quid in Ægide virtutis esset, inquirimus. Nempe erat in Ægide Caput Medusæ. Caput autem significat consilium propter cerebrum. Hinc timor Gigantum. Exanimauit eos consilium capitis, non vis armorum. Viso capite consternati defecerunt. Quid enim possent, vel Gigantæis viribus hostes *contra sonantem Palladis Ægida*? Sonantem, loquentem, dantem consilia, leges pugnandi dictantem, ne muta virtus esset sed expressa per consilia. Vna igitur Pallas solo capite, & consilio vsa superauit hostes, & Cœlum seruauit.


Habent certè gentilium fabulæ iusta sua, & præclara documenta; propterea non dubitauit Petrus Epist. 2. c. 1. *Doctas* appellare, cum illarum auctores aliquid diuinis luminis habuerint cum veritate coniunctum à Deo creatore communicatum, secundum illud Dauidis Psalm. 4 *Signatum est super nos vultus tui Domine.* Cohæret hæc virtus cõsilij fabulosa cum veritate historiæ Sacræ Dauidis, Absalonis, & Achitophelis lib. 2. Reg c. 17. Rebellarat Absalom contra Patrem Dauidem, collegerat ingentem exercitum, ex toto populo Israel conflatum: florebat ætate, vigebat animo, pollebat fortitudine, nihil ad spem victoriæ deerat; ijs omnibus diffisus, *Accersiuit Achitophelem Gilonitem* Dauidis Patris sui *consiliarium* lib. 2. Reg. cap. 15.

15. vt eius consilio se muniret, armaretque aduersus Patrē egregium bellatorem. Dauid item fortissimus, fabulosis Heroibus vera virtute maior, semper victor, laurorum cumulus, palmarum aceruus, triumphale compendium, timuit tamen aduersarium Achitophelem, cuius consilio vinci metuebat. Omnem igitur lapidem mouit vt illud eneruaret *Infatua Domine consilium Achitophel*. Ibidem. Ac nisi illud infatuatum esset opera *Chusai Arachitæ* actum erat de Dauide, & populo. Vicit ergo Dauid deluso Achitophelis consilio, magis quàm militari virtute. Victus est Absalom non armis Dauidis oppressus, sed consilijs Achitophelis destitutus. Adiungamus Sacris profana. Romanis iam penè toto Orbe victoribus terrori fuit Annibal senex in Asia, inermis iam, & imbellis. Et quidem meritò: nam si eius consilijs Rex Antiochus acquiesceret, Annibalem tertio circum equitantem, & circumsedentem Romani patriam vidissent. Auertit cladem Thoas improbato illius consilio, quemadmodum de Achitophele narrauimus. Confirmarunt metum Romani, qui non destiterunt ab insidijs Annibali tendendis, non vt in eo neruos militiæ inciderent, quibus iam carebat, sed vt virtutem prudentiæ quam retinebat eneruarent, & vim acutæ mentis extinguerent. Proficit etiam in prælijs spiritualibus monasticæ militiæ prudentia. Propterea magnus ille Abbas Antonius prædicare solebat inter cæteras virtutes prudentiam eminere, sicuti in eius vita scribit Athanasius.

Nulla re magis exprimitur vis eruditæ, & grauis senectutis, quàm in eo euentu Susannæ, Danielis cap. 13 vbi Sacer textus narrat victam fuisse innocentiam, & pudicitiam Susannæ, testimonio duorum Senum, quibus

bus etiã falsò accusantibus tanta fides habita fuit, vt eam morte dignam populus iudicaret, & quamquam ij lasciuia, & concupiscentia maculati calumniam intenderent, & multis alijs vitiis senectutem inquinarent, non tamen adduci potuit populus, vt crederet eos in tãta grauitate calumniam struxisse, & à veritate aberrare. Opus igitur fuit miraculo infantis præter ætatem loquentis; vt eorũ testimonium refutaretur. Illa coronis ratiocinationis esto, quòd Dauid nonnisi senex in extrema senectute. *Habebat quippe ætatis plurimos dies*, vt ait Scriptura 3.Reg. 1. Abisag adolescentulam Sunamitidem symbolum sapientiæ, iuxta Gregorium Papam sociam habuisset. Itaque ætatis beneficio, non iuuentutis officijs eam promeruit, & obtinuit. Quòd si Salomon iuuenis eam nactus est, diuinum id fuit beneficium, habita morum, non annorum ratione, & quia eam multis precibus, & magnis à Deo postulauerat, & diuitijs, opibusque prætulerat. Attendenda quippe est maturitas mentis, & grauitas morum, quam idem Salomon cùm in sua senectute amisisset, sapientiæ iacturam fecit: & ad Idola declinauit. Illud constat apud Dauidem Deum Opt. Max. cum *Exaltatione in Ecclesia sua Plebis* laudes Seniorum in Cathedra vera docentium, coniunxisse. Psalm. 6. *Et exaltent eum in Ecclesia Plebis, & in Cathedra Seniorum laudent eum*. In hac Cathedra sedent Eminentissimi Patres Sacræ huius Congregationis, in quibus est spectata prudentia, graue iudicium, consilium maturum, virtus solida, doctrina profunda ad euertendam Pestilentiæ cathedram accommodata.

HVIVSCE TRIBVNALIS Maieſtas, Integritas, Auctoritas.



Vi attentè intueatur in venerabiles Sacræ huius Congregationis Patres eorumque dignitatem, ſplendorem, & maieſtatem conſideret, occuret ei Auguſti Senatus imago, multò quàm Areopagi Athenis, & Senatus Romæ auguſtior: ac refricabit illud Cyneæ Pyrrhi Epirotarum Regis Legati dictum, cùm in Curiam Romanam intraſſet, & Patrum in ea conſedentium cætum vidiſſet, *Curiam ſibi templum, Senatores Reges eſſe viſos.* Laudabitque Virgilium canentem lib. 8. *Hoc illis Curia templum.* Tanta erat illa Romani Senatus maieſtas, vt Patres ſinguli Regiam præſeferrent dignitatem, eamque fronte, oculis, ore toto, & ipſo corporis habitu ſpirarent. Par, imo ſuperior huius Sacræ Curiæ ſplendor, dignitas, & maieſtas illo Senatu Romano cuilibet æquo rerum æſtimatori videbitur; nam hìc Patres ſinguli non modo reges, ſed regibus auguſtiores oculis repræſentantur, certiori quàm fuit illa Cyneæ ſpecies ſententia. Quem fortaſſe præſtricti oculi Romana ſpecie fefellerunt, cùm dixit: *Curiam templum, Reges Senatores eſſe viſos.* Aberrauit quippe à vero: nec enim templo reges, ſed Numina quadrabant. Ne ineptè ſentiret dicere debuit, aut *Curiam regiam, Senatores reges: aut Curiam templum, Senatores Deos eſſe viſos*

fos. Sed turbauit Cyneam adulandi libido;ac errando pænas aſsentationis luit. Nos ſecus, ac verè dicemus Sacram Inquiſitionis Curiam *Templum*, Patres *Cælites* videri, & iure; quòd Sacri ſint Ordinis, & in Sacris verſentur, & diuinum quiddam ſpirent, & aura quadam Spiritus immortalis afflentur. Dicerem *Numina*, niſi ipſamet Curia reclamaret, & vocem audaciæ condemnaret. Retineamus ergo quod licet, & Curiam ſacratam, & Patres Sacros Antiſtites appellemus,quando Cælites ipſi Purpurati vocari erubeſcũt, & Purpura ipſo rubore verecundè titulum refutat. Alia item de cauſa mihi diſplicet illa nomenclatura Regum, quia reges illi Senatores eſſe non poterant, quòd plures numero eſſent, Rex autem non niſi vnus & eſſe poſſit, & dici debeat & quòd nomen regium Romanis horrori erat, & illud ſolitarium ob inuidiam à Romana Republica alienum: vti poſtea apparuit in Cæſare pugionibus Patrum in Curia ob inſolentiam affectati Regii nominis transfixo. Verùm quod fefellit Cyneam, & eruditio Romana deſiderat, ſuppetit in Sacra Scriptura, myſticis ſignificationibus abundante. Inuenimus in Apocal. c. 4. Curiam Templum, Senatores Reges. *Ecce oſtium apertum in Cælo*. Rurſum *Ecce ſedes poſita erat in Cælo, & ſupra Sedem ſedens, & in Circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſupra Thronos vigintiquatuor Seniores ſedentes circumamicti ſtolis albis, & in capitibus eorum coronę aureæ*. An non reges? Ad ſunt throni, & coronæ, Reges ſunt. Nec beneficio loci,ſed ſuapte natura reges: non creati, ſed nati reges. Obſerua. Antequam ſederent perſonæ poſita erant vulgaria ſedilia. Vbi ſederunt dicitur *Super thronos*, verſis in thronos ſedilibus, quòd ſecum maieſtatem innatam traherent, non à loco preca-

riam acciperent. Idem notant Coronæ. Non ijs sunt impositæ cum sedissent, quasi alienis manibus; sed eas iam cùm ad sedendùm venissent, impositas ferebant, tanquam sibi debitas, & ingenitas: *In capitibus eorum coronæ aureæ.* Omnia de suo, non de alieno. Itaque fictio illa Cyneæ fuit, quæ veritas Sacra in Ioanne Euangelista esse apparet. Plus habet veritas diuinæ Scripturæ, quàm fabula profana optare potuit. Paradigma huiusce Sacrosancti consessus, ille cætus Seniorum est. Sedent veluti in thronis Purpurati Patres, ceu regali induti Purpura, Coronati Christi diadematis, nempe Ordinis Sacri, & secum trahunt dignitatem regiam, quòd Regale Sacerdotium sit apud Petrum. Epist. 1. c. 2. in Melchisedech Rege simul, ac Sacerdote fundatum, & adumbratum Genes. 14. & Paul. ad Hebr. cap. 7. *Melchisedech Rex Salem, & Sacerdos Dei Summi.* Regiam maiestatem affirmat tiara, siue mitra, quæ ab Eusebio lib. 10. cap. 4. appellatur *Cælestis gloriæ corona.*

Introductis huiusmodi Hierarchici ordinis Patribus, Cardinalibus, & regibus, superest scite: Cur Regum more deliberent, ac iudicent? causa est in promtu, scilicet, vt sponte sua, liberè, pro sua potestate, & auctoritate propria ferant sententias. Vtantur animo regio, excelso, ingenuo, independenti, nullo, aut amore allecti, aut metu coacti, aut cupiditate ducti, præciso omni affectuum vinculo liberi, non captiui, quod regem non decet: meminerint esse se summo in loco positos, claros, splendidos, eminentes. Propterea Dauid Psalm 81. pronunciauit *Ego dixi Dij estis*, quæ particula de iudicibus exponitur, auctoribus. Augustino, Hugone, Nicolao Lyra, Glossa Ordinaria & Morali, vt nos doceret, Iudices cùm eo funguntur

officio

officio tam procul esse debere ab humanis affectibus, vt Dii ab omni mortali concretione liberi videantur.

Quem Deus iudicem sui populi constituit, Moyses, eum constituit Deum Phraonis Exod. 7. ac propterea sui luminis impleuit, cùm illum ad populum cum tabulis legis misit Exod. 4. *Cornuta facies eius*, vt aliquid humano augustius videretur, Splendore radians, adeò vt ipsemet Deus in nube loqueretur ad Moysem, quasi omnem in eundem lucem propriam transfudisset, vt venerabilem Hebræis redderet. Sic enim Sacer textus ibi *Cum descendisset Dominus per nubem.* Eo indicauit Deus quantum de Deo iudex participet, dum maluit intra nubem in obscuro esse, quàm foras eminere. Transfigurato Domino: apparet Deus Pater *loquens de nube* cum filio, qui Solem vultu, niuem habitu præferebat, in gratiam officii iudicis, quem agebat inter Moysem, & Eliam cōstitutus, alterum legis diuinæ Latorem, alterum Zelatorem. Redeo ad cornutam faciem. Cur lux in cornua versa? Scilicet cornu significauit exaltationem, & potentiam, quæ Regum est, & principum propria. Faciem igitur Moyses regali splendore plenam gestabat. Hac pertinet, quòd regimen iudicum post Iosue Deo attribuitur. Primo Reg. c. 8. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*, quia dum iudices imperabant, in iis regnabat Deus, & ipsi quasi diuini effecti regnabant. Imo & Iosue, qui præcesserat eos iudices, diuinam prærogatiuam tanquam princeps, & iudex populi obtinuit, dum Soli, ac Cælo imperauit. Ecquis enim præter illum auderet, cui numen inesse videbatur? Iosue eo nomine stare solem fecit Iosue 10. Quid quæris? etiam Deo visus est imperare *Obediente Deo voci hominis.* Quod mirum est, & diligenter obseruandum. Astræam inter

Deos collocarunt homines in fabulis eruditis, quod iustitiæ Symbolum erat. Dauid autem altiùs iustitiam in cælo collocauit terrestria inspicientem, & humana iudicantem *Iustitia de cælo prospexit* psal.84. è loco vbi habitat Deus, *Deus autem noster in cælo* psal.13. & vnde *prospicit*: *Dominus de cælo prospexit*. Non antè cognouit populus Iudæorum Salomonem diuina Sapientia plenum esse, quàm ille iudicium rectè, ac ex officio exercuisset: vbi viderunt eum iustam ferentem sententiam, cognouerunt eum diuino beneficio euasisse Sapientem lib.3. Reg.c.3. vbi narratur decidisse ambiguam litem duarum mulierum super filio altercantium. Simul ac constitit de iustitia Salomonis, venerati sunt eum religiosè, & coluerunt veluti Dei sapientis imaginem: *Videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium*. Dei, & regis est iusta exercere iudicia. Probat institutum alius locus oppositus Regis Herodis Act. 12. Punitus hic fuit à Deo capitali supplicio, quòd ambitiose quæsiuit adulantis sibi populi plausū, cū altè intonuit *Dei voces, & non hominis*. Roges quare? quid mali Herodes fecit? Similis fuit Salomoni iudicanti. Rex Salomon erat. Rex Herodes. Vterque agebat regiam personam: imò Herodes splendidiorem. *Vestitus* ait textus, *Veste regia sedit pro tribunali*. Nihilominus Salomon sui officij fructum, & plausum tulit cum acclamatione diuini, ob sapientiam, cùm appareret homo: Herodes verò, cum videretur maior humano, fuit punitus, & euasit mortuus. Quid sibi vult hæc differentia euentuum? Inspiciamus textus. Iudicium, exercuit Salomon. Herodes autem concionem habuit *concionabatur*. Diuersitas functionum induxit diuersitatem euentuum. Salomon apparuit diuinus, & mansit incolumis. Herodes punitus,

&

& extinctus fuit. *Consumptus à vermibus expirauit.* Causa liquet. Iudicare, officium regis est, non concionari. Abusus fuit tribunali Herodes, egit Oratorem vanũ, non iudicem iustum. Ambitiosè quæsiuit laudes à populo audiente, & adulante prorsus ineptas, & ab officio alienas *Voces Dei non hominis.* Præpostera, & extra iudicium laudatio, quæ rectè iudicanti, non eleganter dicenti debebatur. Consequens erat vt pœnas lueret temeritatis. Reus apparuit, cum Deus audire volebat.

Regia virtus iustitia est, decetque regem, qui propria debet vti potestate, non precaria, nec emendicata, cùm præsertim iudicem repræsentat, cui iudicium liberum est, & auctoritate plenũ. Huius rei Genes. 38. est idoneum documentum. Parit Thamar duos filios vno partu gemellos Phares, & Zaram, euentu mirabili. Prior egreditur Zaram, & in ipso egressu exerit manum, ceu palmam prouocaret victoriæ, & ad possidendum manum extenderet. Adest obstetrix, obsecundat voto, *Ligauit manum Coccino dicens, iste egredietur prior.* Contra tamen euenit. Infans quippe vix dum coccineum filum sensit, cùm retraxit manum: Itaque mulierem decepit opinio. Mutata sorte succedit Phares, & locum prioris vendicat. *Egressus est alter, dixitque mulier: quare diuisa est propter te maceria, & vocauit nomen eius Phares.* Res hic maxima latet, in lucem cum pueris edenda. Cur Zaram prior retrahit manum, & quare Phares occupat locum, & primogenituram? Nimirum Zaram fugit vinculum, signum conditionis seruilis. Ligatus, inquit, princeps esse non possum, quem libertas & potestas decet. Manus vincta, victa est: præstat non regnare, quàm ligatis manibus ad aliorum arbitrium regnare. Phares vero

quo-

quomodo locum & principatum vendicauit? Nempe quia diuiserat. *Diuisa est maceria.* Rem teneo. Diuisio est actus iustitiæ, quæ diuidit, & distribuit in partes æquales. Vnde in Euangelio Luc. cap. 12. Christus: *Quis me constituit iudicem, ac diuisorem inter vos?* perinde ac idem esset iudicare, ac diuidere. Rectè igitur præferendus erat Phares, eique principatus assignandus, quia diuidendo prodiit, & iustitiam præ se tulit, cùm hæc virtus regia sit, secumque regium ius, & potestatem trahat. Renunciat regno Zaram, qui diuidere nequit ligata manu. *Rex iustus,* inquit Salomon Prouerb. 29. *Erigit terram.* & Christus in Cruce *Rex iustus* à Centurione appellatur, *Verè hic homo iustus erat.* Luc. 23. Ideo *venit mittere gladium,* Matth. 10. Eum exeruit Apocaly. c. 7. *Ex ore,* vt loqueretur iustitiam. Salomon cum primùm iudicauit, gladium euaginauit 3. Reg. 3. *Affer te mihi,* inquit, *gladium,* quo se iustum diuidendo ostenderet.

Gladium sequitur metus, qui religionem afferat. Seuerum hoc Tribunal est, & sua se seueritate protegit, ac munit. Timetur, & colitur. Perinde est latinè, metus, & religio. *Religione Patrum multos seruata per annos,* dixit Virgilius Æneid. 2. & rursum lib. 7. *Multosque metu seruata per annos.* Notum est illud Petronii *Primus in orbe Deos fecit timor.* Idcirco Deus cùm primum legem dedit populo, seque coli præcepto imperauit, timorem ei incussit Exod. c. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes visitans iniquitatem.* Et postcá eodem capite ita legem tulit, vt videretur bellum populo denunciare, *Cunctus populus videbat voces, & lampades, & sonitum Buccinæ, montemque fumantem & perterriti, ac pauore confusi steterunt procul.* Tam se Deus terribilem ostendit, vt terrore excitaret religionem.

Quia


Quia ipsemet cum primum Moysi apparuit in monte Horeb totus igneus, & spinis inuolutus terrorem intulit, & arcuit, *Ne appropies*, inquit *huc*. Longè remouit, vt perterritum commoueret religio: *Solue calceamenta de pedibus tuis*, qui erat actus religionis. Conuersionis suæ initium à timore auspicatus est Petrus Lucæ 5. cùm viso miraculo copiosæ piscaturæ dixit ad Christum *Exi à me Domine quia homo peccator sum*. Verba sunt timentis, & ob timorem Deum Christum esse confitentis. Cùm procul aberat per timorem, prope ad Christum adorandum accedebat. Magnam vim esse in timore significat locus ille Genes. 4. Nam cum Cain fratrem suum Abelem occidisset, & obstinatus in peccato esset, timore vsus est Deus, vt eum ad pœnitentiam facti reuocaret. *Maledictus eris super terram*; vnde intulit Cain. *Omnis igitur qui inuenerit me occidet me*. Glossa Ordinaria, & Lyra hoc in loco notant Cainum vehementer timuisse, *& tremorem quendam horribilem* concepisse. Quare? nempe ea ratione facilius poterat conuerti ad Deum. Propè est timor à Numine; qui timet Deum coniunctus est Deo, tam coniunctus, vt videatur Deum in se habere. Præstat eundem effectum, quem amor, timor. Amor transformat hominem in Deum; idem facit timor. Est insignis locus ad hoc probandum ille Genes. c. 31. In quo Iacob sic ait: ad Laban, *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi*. Mirum dictu. Ponit exprese Deum patris sui Abraham, & tacet nomen Dei patris sui Isaac. Vtroque in loco debuisset Deum nominare. Erat quippe adiuratio: adiurabat autem per Deum. Quomodo ergo non dixit: *Et Deus Isaac patris mei*, sed *timor Isaac*, accipiens timorem pro Deo? Scilicet quia Isaac per timorem suum Nu-

men in ſe habebat, quodammodo transformatus in Deum. Sicuti enim amor homines in Deum transformat, ita & timor. Vnde videbatur perinde eſſe *timor Iſaac*, atque *Deus* Iſaac. Salubris eſt iſte timor, & magnum pondus religionis affert. Propterea hoc Sacroſanctum Tribunal Religionem ſeueritate arceſſit; nimia quippe facilitas minuit reuerentiam. Obſeruo ex Patrũ doctrina nullos Hæreticos fuiſſe auſos negare diuinitatem Patri æterno: cùm tamẽ negauerint Filio, vti Arius; & Spiritui Sancto, uti Macedonius. Res eſt notatu digna, cuius meritò cauſa inquiritur. Mihi inueſtiganti ea occurrit, videlicet, quòd Pater ſemper ſeruauit auctoritatem, & ſeueritatem: nec ſe ad homines demiſit; miſſus non eſt, nec mitti potuit, vti Filius, & Spiritus Sanctus, qui ſe communicarũt hominibus: Filius per veram Incarnationem; Spiritus Sanctus per gratiæ communicationem; inde factum vt Pater Æternus manens in Arce dignitatis, & ſeueritatis continuerit homines, nequid ſibi detrahere auderent. At verò Filius, & Spiritus Sanctus, qui miſſi ſunt ad homines, ac iis ſe communicarunt, locum hac facilitate dederunt ingratis hæreticis, vt diuinitati ſuæ detrahere minus formidarent. Non quòd aliquid amitterent, ſed quòd in contemptum ea benignitas ab impiis verteretur. Rectè igitur Patres huius Tribunalis ſeueritatem præſeferunt, vt integram auctoritatem ſuam cuſtodiant, & religione intecta tueantur.

Si-

Silentium, Secretum, Fides.

CAP. VI.



Vmma silentij vis est in Sacris, & in Politicis. Nec minor eius necessitas. Propterea in hoc Sacro Sancto Tribunali ritè obseruatur, & in partem religionis transit. Frequentiam inimicam habet, in qua periclitatur Silentium. Est quippe solitudinis filius, ut propè miraculo sit in tanta multitudine ministrorum, tanta illius obseruantia. Huius silentij nomine Respublica Veneta primam inter cæteras politicas gubernandi rationes laudem meruit, quòd valeret Silentio; eique acceptum refert imperium. Sirenes in mari suo non amauit, quòd garriunt, & cantillant, sed pisces mutos, ipsi magis muti quàm pisces Scaphas rostratis præferunt sæpe, quòd silentij symbola sunt, vti prouerbium iactat. Et quidem Veneti magis profecerunt silentio linguarum, quàm strepitu tormentorum. Olim apud Græcos Cereris frumentariæ Deæ Sacra taciturna. Romæ, Bonæ Deæ taciturnitate litatum. Nulla Schola præstantior extitit, quàm Pythagoræ, quòd fuerit silentij domicilium. Profecit plus ciuitatibus mutus Harpocrates, quàm Hippocrates Medicus. Hic corporum, ille mentium aliptes. Sacratius tamen est silentium huiusce Tribunalis, Deo consecratum, *Tibi silentium Deus*, perinde est ac *laus*. Laudatur quippe Deus magis silentio meditantis, quàm

voce laudantis. Idcirco inter Psalmos respiratur ad singulos versus, vt significetur animam psalmorum esse meditationem, quæ verba distinguit. At, inquies, Deus est *Verbum*, non silentium. Respondeo. Verbum esse mentis, non vocis: rationale apud Deum intus loquens, & ad intra productum in sinu patris conceptum, genitumque. *In sinu Patris* Ioan. 1. reconditum, non effusum. Dicitur quidem *Verbum*, & gignitur dicendo, sed dictione intellectus, non gutturis, quo caret Deus. Cum Visibili verbo sumpta carne in vocale transiit *Visus, & conuersatus* Baruch. 3. Dum inuisibilis, & immortalis ab æterno, fuit silentium, non vox articulata fuit: postquam suscepit corpus caducum, & mortale vocem edidit, & rupit silentium. Verùm vt indicaret pretium silentij, voluit de nocte nasci: *Cum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet*. Sap. 18. Quod tempus conticinium continet. Quid? quòd Christus annos triginta siluit, & triennio prædicauit. Summa eiusdem mysteria nocte confecta, Natiuitas, Resurrectio. Quin & mors capitale mysterium obscurato Sole, & die in noctem verso peracta. In Cœlo inter acroamata, & plausus opportunè seruatur silentium. Apoc. 8. *Factum est silentium in Cælo, quasi media hora*: vt eo proluderetur ad magna. Et in æternitate suum, ac iustum inuenit locum silentium: cui ipsa æternitas assurrexit. *Sacramentum* dicitur silentium, & *secretum* Tobiæ 12. *Sacramentum regis abscondere*. Ad sigillum pertinet, & ad religionem, quod nefas est violare. Cum sit silentium negatio vocis fieri tamen dicitur *faciebant silentium*, Nehemiæ 8. nisi si *faciebant* significat *sacrificabant* Verbo Sacerdotii, ut in sacrificium transiret silentium. Nam Leuitæ illud *faciebant*. Litatur in diuinis

silentio. Paulus Act. 13. manu est vsus ad silẽtium indicendum, quasi ad opus silentium pertineret. Nihil eo pretiosius Beata Virgo Verbum gestauit in vtero & silentium in corde *Conseruabat omnia verba hac conferens in corde suo*. Luc. 2. O dignum secretorum domicilium! Secreti anima est silentium: vbi perditur iugulatur. *Secretum meum mihi secretum meum mihi*. Isai. 24 vni & sibi vere secretum. Tunc Sanson periit cum Dalilæ suum secretum aperuit Iudic. 16. Aperuisse periisse fuit. Inimicis se prodidit, cùm amicæ secretum prodidit. Bona opera lucem amant, secreta oderunt lucem, & diligunt noctem. Refricemus locum Sansonis. Cum eius caput erat crinitum, & inter capillos latebat secretum, in tuto fuit; cum rasit caput, & ablata capillorum silua secretum apparuit, periit. Obseruatum habeo Christum in Euangelio quoties mutos sanauit & loqui iussit nunquā dixisse *Aperi os*; cùm tamẽ Surdo dixerit *Aperi aures: Epheta quod est adaperire*. Marci 7. Noluit eo verbo vti, nec forte quis putaret exhortari se ad prodendum secretum. Obturat Deus, & oppilat ora, vt claudantur. *Pone domine custodiam ori meo & ostium circumstantiæ labijs meis*. Psal. 140. Munitur, & vallatur os, imo & circumuallatur, ne quid in illud loquendo ingrediatur, nequid ex illo loquẽdo egrediatur, ne animus, qui arx est munitissima, expugnetur. Facit ille locus sponsæ Cant. 4 *sicut vitta coccinea labia tua* Haud temerè comparauit labia vittæ, quæ ligat, & impedimentum potius affert, quàm præsidium. Sane hoc moliebatur sponsus ligare os sponsæ locuturæ illa vitta, ne loqueretur, & loquendo vitam amitteret. Vittæ liganti alligata erat vita loquentis. Addit momentum color *coccinea* ruber, quia erubescendum est loquenti, si soluat labra,

&

& emittat liberum è custodia secretum. Moneat rubor vittæ, ruboris, loquentem in reuelatione secreti. Qui magna meditantur, & patrant, Silentium profitentur, ac tacendo operantur. Nihil vmquam grandius susceptum, aut patratum, quàm facinus Iosue aduersus Amorrhæos, cum in medio ardentem cursu frenauit Solem, & clauo suæ vocis fixit, ne moueretur. *Sol ne mouearis* Iosue 10. Silentii opus id fuisse docet textus Hebræus, vbi legitur *Tace Sol* indicta statione. Si tacuit cùm stetit, loquebatur cum mouebatur, & passus Solis verba erant lucida, & radij vagantes voces erant sermocinantis. Hi consistentes siluerunt, & silentes præstiterunt victorem Iosue. Itaque Sol obediens locutus est victoriam *Obediente Deo voci hominis: Vir obediens loquetur victorias*. Reperit mutum silentium loquax epinicium. Quæ in hoc Tribunali patrantur ad vtilitatem, & gloriam Ecclesiæ sacra fiunt silentio, & secreti virtute patrantur.

Interuenit fides pura, quam albo velatam panno inducit Horat. Ode 35. li. 1. *Quod est in ore silentium*, idest in oculis velamen. Patet ex textu Genes. c. 20. vbi Rex Abimelech dedit Saræ vxori Abraham velamen oculorum in argumentum fidei seruatæ, ac seruandæ marito. Quod item confirmatur Genes. 24. vbi Rebecca viso Isaac sponso futuro operuit sese, vt eo operimento testaretur fidem erga sponsum. Haud secus egit Rachel c. 31. Genes. Cùm furata idola Patris sui Labani, vt fidem suam seruaret abscondit ea sub stramentis, ne quærenti patri paterent delusa diligentia inuestigantis. Qui rem prodit fidem frangit, Summa ergo opus est fide, quæ ex silentio nascatur. Auertendæ sunt fraudes ab eo, qui fidem profitetur, artes, versutiæ, doli amouendi. Agendum sincerè, sine

fuco,

fuco, sine fraude, more maiorum. Dissimulationes, fictiones, tergiuersationes, & aliæ tineæ, & teredines fidei repellendæ. Cur tantopere detestatus est Iacob vindictam sumptam à Simeone, & Leui de Sichimitis Genes. 34.? Nam ij iustè visi sunt facere expetendo pœnas ab ijs propter stupratam Sororem Dinam, quemadmodum ij patri exposuerunt: *Nunquid vt scorto abuti debuerunt sorore nostra?* Nec eos tantùm reprehendit Iacob ante hanc excusationem, sed etiam post eam, nam cap. 49. eos ob id facinus maledixit. *Simeon, & Leui vasa iniquitatis bellantia. Maledictus furor eorum.* Scilicet, quia fraude & dolo vsi fuerant aduersus Sichimitas obtentu religionis adhortando eos ad circumcisionem, & circumcisos interficiendo. *In dolo* ait Scriptura cap. 34. *Sæuientes.* Non ergo propter sæuitiam, & crudelitatem, sed propter *dolum*, & fraudem reprehensi, cùm præsertim dolus in detrimentum religionis verteretur. Sic Lyra exposuit eo loco *Doctores*, inquit, *nostri intelligunt de interfectione populi Sichem in dolo, cum Sichimitæ recepissent Circumcisionem in signum fœderis amicitiæ.* Eadem ratione Salomon occidi iussit Ioab principem exercitus Dauidis 3. Reg. 2. quia nimirū interfecerat Abner, & Amasam *In dolo* vti habetur lib. 2. Reg. c. 3. deceptos, ac imprudentes, & nimis credulos, vti notat Abulensis. Sed maius momentum habet locus ille Euangelij, in quo Christus exprobrauit Iudæ osculum proditorium Luc. 22. *Iuda osculo filium hominis tradis?* Non est passus fraudem, & dolum contra fidem, quam in osculo violauerat. Signum quippe amoris, odii instrumentum fecerat. *Osculatus est eum.* Pura in iudicio Inquisitorum fides, sincera, & incorrupta inuenitur: nihil admittitur, nisi discussum, nisi probatum: seruatur in eo recta, & integra forma iu-

iustitiæ. Quadrat illud Dauidis Psal. 118. *Iustus es, & rectum iudicium tuum*. Nec solum iustum iudicium est, sed etiam apparet iustum, ut palàm fiat æquitas iudicantis. Cur Deus in condēnatione Balthasaris Daniel 5. Stateram intulit, & scribentem manu induxit, in pariete expressa sententia. *Apparuerunt digiti manus scribentis*, & postea *Hæc est scriptura*. Et tandem *Hæc est interpretatio*. Scilicet vt nequid occultè fieret, & manifesta esset causa damnandi; vnde ponitur in textu *Rex aspiciebat*, vt tergiuersari non posset. Vertit Deus in religionem iudicium, & perinde habuit rationem iudicandi, & sacrificandi. In iisdem libris, imò & locis tradidit Deus formas iudicandi, & sacrificandi in Exod. Num. & Leuit. Afferamus locos Exodi c. 18. 20. vsque ad 24. proponuntur simul cæremoniæ iudicandi, & sacrificandi, ceu ad religionem pertinerent. Cuius rei insigne paradigma suppeditat cap. 24. in quo blasphemus iudicatur, & condemnatur. Missus in carcerem à Moyse iubetur à Deo *lapidari*: ea tamen ratione, vt omnes lapidaturi *manus suas super caput eius ponerent*. Quare? impositio ista manuum ad Ordinationem pertinebat. Est quippe impositio manuum propria ordinantis, aliena à condemnante: imponuntur manus ad ordinandum, non ad condemnandum. *Impositione manuum*. Tim. 4 *Imponebant manus super illos*. Act. 8. Rem teneo. Mens Dei fuit docere tanti esse iustitiam, quanti religionem. Iubet imponi manus ad condemnandum, vt illud supplicium contineret sacrificium. Sacrificium in altari fit, vbi affertur hostia Deo, & supplicium ad altare fit, vbi victima mactatur iustitiæ. Vtrunque ad religionem pertinet. Vtrunque opus est fidei, ad Deum redit. Adijcio aliud momentum ex Genes. cap. 28. Collato capite 31. 35. *Erigit*

Iacob

Iacob *lapidem in titulum*, & templum *Domum Dei* appellat, vbi altare erigendum erat cap 34. *Erexit titulum lapideum*. Constat sacrum esse lapidem in altare conuersum. Nunc c. 41 *Lapis* est testimonium fidei, & fœderis inter Laban, & Iacob *Lapis quem erexi testis erit* ait Laban, qui ut iniret fædus cum Iacob. *Ineamus fædus* appellat lapidem *testimonij*. Ecce religio altaris coniuncta cum fide, & testimonio lapidis. Rectè, quia idem lapis, qui habuit vicem altaris, instrumentum fidei fuit. In eo fiebat sacrificium & in eodem reddebatur Fidei testimonium, ut documento foret mortalibus eiusdem virtutis esse, & Deum colere, & proximo fidem seruare. Tanti est Fides. Propterea in Tribunali Deo erecto ad tuendam Catholicam Fidem, Fides, quæ in iudiciis exercetur, pura, & inuiolata seruatur.

Vitia, quæ in alijs iudiciis humanis interuenire solent, ab hoc Tribunali aliena.

CAP. VII.

TRia sunt, quæ humana corrumpunt iudicia. Aurum, potentia, gratia. Aurum capitale malũ, de quo queritur Cicero ad Atticum lib. 1. Epist. 13. quòd eo corrupta essent Romæ iudicia: quę ille vocat empta, & constuprata. Est quippe integritas iudicij similis integritati Virginis. Vtraque vi auri constupratur, & perditur. Roma anteà virgo erat pro-

pter inuiolatam iustitiam, tunc corrupta per auaritiam virgo esse desierat. Admiserat vitium cum iam ruinam minabatur. Hinc ille iudex Felix Act. cap.24. *Sperabat pecuniam à Paulo* cui iudex obtigerat: eo infelix, quòd auarus,& cupidus corruperat iudicia. Quãta sit vis auri nouerat Aaron. Quò populum in idolatriam prurientem refrenaret petiit ab eo aurum ad fabricandnm vitulum, quem optabat, existimans eum auaritię studio à proposito destiturum. Hac ratione se se excusauit apud Moysen Exod.32. *Quis vestrum*, inquit, *habet aurum?* Verùm fefellit eum humana prudentia, quia alia ingentior cupiditas tenebat populũ. Cupiebãt enim emere iudicia donato auro, vt Deus ille conflatilis, quem moliebantur confectus ex auro remitteret pęnas propter crimina subeundas. Idolum quippe obligatũ auro, ex quo erat fabricatum ligatas habiturum erat manus ne puniret peccantes. Quæ doctrina manifestiùs apparet Baruch. c.6. Vbi de Diis ex auro,& argento confectis dicit Propheta *Nihil aliud erunt nisi id quod volunt esse Sacerdotes*. Idcirco vituli aurei idola erant, quale genus pecudũ stimulo agitur à minante, cuius arbitrio gubernantur: tanta est erga aurum reuerentia. Agitabant ergo illi iudicia corrũpere. Ille idoneus,& inuictus iudex,& princeps est, qui nihil accipit à suis, adeo, ut si sua retineat, & seruet, dummodò tamen non rapiat aliena, rectè imperare, imò & iudicare possit. Mirus est ille euentus, quem narrat Scriptura cap. 9. Iudicum. Vbi arbores de Rege creando deliberantes veniunt ad oliuam, & ficum & vitem. Offerentes imperium, quod illę tamen repudiarunt causantes iacturam suorum fructuum. Itaque conueniunt rhamnum rogantes, vt velit suscipere Regnum aliis oblatum, & ab ijs reiectum. *Veni*

impera nobis. Nihil videtur esse ineptius ad regnandum, quàm rubus sterilis, asper, horridus, & incultus, pungens, & lacerans accedentes, nullius vtilitatis, nullus fructus, nullius iucunditatis. Cur ergo, & quomodo inuitatur ad imperandum? Scilicet, quia Rhamnus non erat capax ad accipiendum quidquam à quopiã. Atque adeo eo nomine aptum ad regnum, quia & si nihil donare posset, accipere tamen non poterat, nec accipiendo corrumpi. Nihil donabat, sed ei tamen nihil donabatur. Hoc satis erat ad bene imperandum: esse incorruptum. Nihil seuerius cautũ ab hoc insigni, & pio tribunali, quam nequid auri irrepat: omnino est à sorde auaritiæ alienum. Si quid secus accideret, capitale id esset. Quadrat in hanc Sacrosanctam domum Inquisitionis illud Cæsaris dictnm. Domum Cæsaris non solum crimine, sed etiam suspicione criminis carere oportere. Integrum est, inuiolatũ, incorruptum, Horret auaritiam, detestatur cupiditatem. Cum sit arbor florida, fructifera, & opaca vbi agitur de lucro vertitur in Rhamnum spinosum, horridum, asperum, acutum. Talẽ se exhibuit ille typus iustitiæ Apocal c. 1. Flãmeis oculis, niueis crinibus, terribilis ense, qui vel intuẽtes perterrefaceret, & arceret. Nihil est apud Tullium, ciuem integerrimum fratri suo Quinto Ciceroni frequentiùs, & vehemẽtiùs comendatum in primo Epistolarum ad eundem, quàm auersio à pecuniis, & abstractio à ministris auaris, & perniciosis. Illud memorandum quòd Deus apud Baruch vehementer improbat idola, quòd ex auro, & argento conflarentur, quia scilicet vbi aurum dominatur, nihil ibi diuinũ esse potest. Negat Deos esse, quos capit aurum, & qui accipiunt aurum. *Accepto*, inquit, *auro fabricati sunt*, quod cum diuinitate, & integrita-

pter inuiolatam iustitiam, tunc corrupta per auaritiam virgo esse desierat. Admiserat vitium cum iam ruinam minabatur. Hinc ille iudex Felix Act. cap. 24. *Sperabat pecuniam à Paulo* cui iudex obtigerat: eo infelix, quòd auarus, & cupidus corruperat iudicia. Quāta sit vis auri nouerat Aaron. Quò populum in idolatriam prurientem refrenaret petiit ab eo aurum ad fabricandnm vitulum, quem optabat, existimans eum auaritię studio à proposito destiturum. Hac ratione se se excusauit apud Moysen Exod. 32. *Quis vestrum*, inquit, *habet aurum?* Verùm fefellit eum humana prudentia, quia alia ingentior cupiditas tenebat populū. Cupiebāt enim emere iudicia donato auro, vt Deus ille conflatilis, quem moliebantur confectus ex auro remitteret pęnas propter crimina subeundas. Idolum quippe obligatū auro, ex quo erat fabricatum ligatas habiturum erat manus ne puniret peccantes. Quæ doctrina manifestiùs apparet Baruch. c. 6. Vbi de Diis ex auro, & argento confectis dicit Propheta *Nihil aliud erunt nisi id quod volunt esse Sacerdotes*. Idcirco vituli aurei idola erant, quale genus pecudū stimulo agitur à minante, cuius arbitrio gubernantur: tanta est erga aurum reuerentia. Agitabant ergo illi iudicia corrūpere. Ille idoneus, & inuictus iudex, & princeps est, qui nihil accipit à suis, adeo, ut si sua retineat, & seruet, dummodò tamen non rapiat aliena, rectè imperare, imò & iudicare possit. Mirus est ille euentus, quem narrat Scriptura cap. 9. Iudicum. Vbi arbores de Rege creando deliberantes veniunt ad oliuam, & ficum & vitem. Offerentes imperium, quod illętamen repudiarunt causantes iacturam suorum fructuum. Itaque conueniunt rhamnum rogantes, vt velit suscipere Regnum aliis oblatum, & ab ijs reiectum. *Veni*

im-

impera nobis. Nihil videtur esse ineptius ad regnandum, quàm rubus sterilis, asper, horridus, & incultus, pungens, & lacerans accedentes, nullius vtilitatis, nullius fructus, nullius iucunditatis. Cur ergo, & quomodo inuitatur ad imperandum? Scilicet, quia Rhamnus non erat capax ad accipiendum quidquam à quopiã. Atque adeo eo nomine aptum ad regnum, quia & si nihil donare posset, accipere tamen non poterat, nec accipiendo corrumpi. Nihil donabat, sed ei tamen nihil donabatur. Hoc satis erat ad bene imperandum: esse incorruptum. Nihil seuerius cautũ ab hoc insigni, & pio tribunali, quam nequid auri irrepat: omnino est à sorde auaritiæ alienum. Si quid secus accideret, capitale id esset. Quadrat in hanc Sacrosanctam domum Inquisitionis illud Cæsaris dictum. Domum Cæsaris non solum crimine, sed etiam suspicione criminis carere oportere. Integrum est, inuiolatũ, incorruptum, Horret auaritiam, detestatur cupiditatem. Cum sit arbor florida, fructifera, & opaca vbi agitur de lucro vertitur in Rhamnum spinosum, horridum, asperum, acutum. Talẽ se exhibuit ille typus iustitiæ Apocal c. 1. Flãmeis oculis, niueis crinibus, terribilis ense, qui vel intuẽtes perterrefaceret, & arceret. Nihil est apud Tullium, ciuem integerrimum fratri suo Quinto Ciceroni frequentiùs, & vehemẽtiùs comendatum in primo Epistolarum ad eundem, quàm auersio à pecuniis, & abstractio à ministris auaris, & perniciosis. Illud memorandum quòd Deus apud Baruch vehementer improbat idola, quòd ex auro, & argento conflarentur, quia scilicet vbi aurum dominatur, nihil ibi diuinũ esse potest. Negat Deos esse, quos capit aurum, & qui accipiunt aurum. *Accepto*, inquit, *auro fabricati sunt*, quod cum diuinitate, & integrita-

te stare non potest. Eo sane profecit Dionysius Tyrannus, quòd cum barbam auream & amictum aureũ idolis suis detraxit, declarauit non esse Deos queis aurũ adhęrebat. Obiicies tamen illos vigintiquatuor Seniores Apoc c.4 qui iudices repræsentabant, quorum tamen capita coronis aureis fulgebant, *& in capitibus eorum corona aureę*. Ante Deum coronati stabant, approbante Deo, quod in idolis reprobauerat apud Prophetam Baruch, dum ait, *Coronas aureas habent super capita sua.* Qui duo loci vidẽtur opponi. Nam cur improbantur in Baruch aureæ idolorum coronæ, & probantur in senioribus Apocalypsis Coronæ aureæ? Respondeo: hoc esse discrimen inter coronas; & coronas, quia Dii apud Baruch habebant eas affixas, & perpetuas, vt nunquam deponerent, semper retinerent. At vero Seniores Apocalypsis coronas mobiles gestabant, easque ponebant, & abiiciebãt, aurum contẽnentes; itaq; ad speciem, & pompam coronis vtebantur; unde Sacer textus inquit. *Procidebant Seniores, & adorabant, & mittebant coronas suas ante thronum* testantes se non habere coronas ad possidendum, sed ad proiiciẽdum. Aurum quippe impedit integritatem in iudice, vti apparet in eo loco Exod. 8 vbi Iethro docet Moysen modum iudicandi. *Prouide*, inquit, *homines, qui oderint auaritiam, in quibus sit veritas*, quasi non posset veritas iudiciorum cum auaritia consistere, quod ibi animaduertit Nicolaus de Lyra his verbis. *Homines cupidi propter munera facilè deflectunt à iustitia.* Iure igitur Sacrosãctum Tribunal aurũ detestatur, dona reiicit, munera horret, & arcet. Procul ò procul este venena. Numerat quippe munera in venenis.

Nihilo item minus reiicit potentiam: nec patitur se vlla vi, aut potestate, aut auctoritate auerti, vel demoueri

ueri ab officio. Inflexibilis est Sacra Inquisitio. Virga ferrea vtitur, non frondea, quæ flecti solet, & torqueri iuxta dictũ Psal. 2. *Reges eos in virga ferrea* propter constantiam in iudicando, Coronarum, Sceptrorum rationem non habet. Sola ducitur iustitia: seque munit integritate, & magnanimitate aduersus potẽtiam ingruentem, seque ingerentem. Iudices armari debent, quasi pugnaturi aduersus principes, & potentes, si velint hanc Arcem quatere, & labefactare suis viribus, potentia, opibus. Id notatu dignũ quod Moyses c. 18. Exodi. *Eligit in iudices viros strenuos, tribunos, & centuriones*, quasi exercitum colligeret educturus in aciem ad dimicandum. Rem intellexit. Vidit opus esse fortitudine ad resistendum potentiæ ingruenti, & tentanti expugnare iudicia. Ita suos iudices comparabat ad iudicandum, quasi instrueret ad bellandum. Optimus iudex cedere non debet potentibus, sed iure agere, & iustitię dare, quod potentia extorquere molitur. Pudere debet iudicem, si timeat potentiam. Nouerat hoc Dauid 2. Reg. 14. Peccauerat Absalon in patrẽ occiso fratre Amnone. Puniendus erat propter crimen Absalon. Dauid iudex constitutus paratus erat ad puniendum. Voluit Ioab causę se interponere, & Absalonem liberare. Erat princeps militiæ, potẽtissimus, strenuissimus, habebat in potestate exercitum. Noluit vti potentia, quia nouerat Dauidem propter vim, & metum minime à iustitia recessurũ. Quid ergo? vocauit mulierem Thecuitidem, vt eius opera vteretur, veniamq; à Rege iudice Absaloni impetraret. Rem acu tetigit. Rex quippe mulieri annuit, concedens quod Ioabo negaturus erat. Reiecit potentiam, admisit lacrymas, & preces: hoc significauit, cùm rogauit mulierẽ, vtrum Ioab potentia vellet vti ad extorquendam sententiã.

Nun-


Nunquid manus Ioab tecum est? Nota *Manus*, quæ potentiam indicat: quasi diceret si Ioab manu & potentia vti vult, resistam, ne videar largiri potentiæ, quod est iustitiæ. Lacrymis, & precibus do, quod armis, & potẽtiæ non darem. Abi: viuat Absalon precariò, non per uim. Propterea in Sacris Scripturis frequẽter habetur Deum non respicere personas, præsertim potentes, vt doceat nullam habendam esse rationem in rebus iustitiæ potentiæ, & virium. Iob. 34. *Deus non accipit personas Principum*, & Deuter. 10. *Personam non accipit: facit iudicium pupillo, & viduæ.* Ducitur iure misericordiæ, nõ potẽtia. Pauperem audit Iob. 34 & contra principem fouet *cum disceptaret cum paupere*. Repellit potentiam, arcet tyrannidem: *non cognouit tyrannum cùm disceptaret contra pauperem*. Non audit strepitum armorum, sed gemitum plorantium. Fauet mendicanti, non imperanti. Turbulenta, implexa, infelicia, iniusta sunt illa iudicia, in quibus vis, & potentia principum dominatur. Apparet hoc in iudicio illo, quo nihil fuit, aut excogitari potest iniustius, & deploratius, damnationis Christi Domini ad mortem. Id præuidit Propheta cùm cecinit psalmo 2. *Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*. Interuenit quippe Prçses Pilatus; Rex Herodes, Principes Sacerdotum, Cæsar imploratus; imo causa mortis Christi fuit respectus ad Cæsarem, cuius potentiam Pilatus formidauit. Cum enim audisset. *Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris*. Io. 19. statim capitalem contra Christum tulit sententiam. Valuit apud iniquum iudicem vis potẽtiæ, non virtus iustitiæ. Alia est prorsus Sanctæ Inquisitionis Romanæ institutio, vt vim, & potentiam principum non attendat, & sua integra, & incorrupta sustineat iudicia. Non excludit

tamen

tamen protectionem, & auxilium Principum, ad Fidē defendendam, seruandam, propagandam; quod Principes erga Inquisitores vbiq; præstare solent, qui pro ea gladios stringunt, & clypeos obiectant, vt aduersus Schismaticos, & Hæreticos sartam eam, tectamque tueantur.

Reiicienda denique est tertia tinea iudicij, quæ est gratia: cui sępe iudices in aliis Tribunalibus multa largiuntur. Auctor diuinæ gratiæ Christus inimicum se præbet humanæ gratiæ in iudiciis. Noluit Ecclesiā suam Ioanni committere, sibi caro, & gratioso, ne gratiæ videretur dare. Elegit Petrum, cui & gregem, & claues commisit. *Ti dabo claues. Pasce oues meas*. Quin & Maria Salome matri filiorum Zebedei poscenti Cathedras pro filiis minime annuit, remittēs petitionem ad Patris æterni potestatem. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*. Petitio, gratia consanguinitatis nitebatur, idcirco eam minus curauit Christus, & quia res erat iustitiæ, & ille Rex iustitiæ iudicio patris reseruauit. Concinit alter locus Ioan. 11. vbi resuscitaturus Lazarū ità rem disposuit. Cùm accepisset litteras à Maria, & Martha sororibus pro fratre infirmo scribentibus, non continuò se accinxit ad iter, sed moratus est, dum moreretur, & postea profectus iit suscitatum Lazarum mortuum, quem poterat curare viuum. Quare distulit miraculum? nec statim patrauit cum litteras accepit? nimirum quia litteræ prætendebant gratiam *Ecce quem amas infirmatur*. Hęc causa fuit morandi, & expectandi mortem Lazari, qui interim mortuus est. Maluit quippe illum mori, & sepeliri, & post quatriduum è sepulchro reuocare, quàm illam vel saluum á morte liberare, vel statim post mortem resuscitare. Id enim agebat, ut doceret, se non

duci amore, neq; gratia erga sorores amantes, & Lazarum amatum, sed trahi iure miserationis, nequis putaret gratiæ se in eo miraculo rationem habere. Idcirco petente matre in nuptiis vinum pro inuitatis Ioan. 2. respondit minus ad speciem suauiter *Quid mihi, & tibi est mulier?* quo indicauit patraturum se miraculum ex propria potestate, non verò pro gratia aliena. Qua in re maximè obseruandum est, quòd iudex ille diuinus. Apoc 1. Gladium in ore habebat inter labia, vnde acutus exibat. Visus est significare labia locum esse iustitiæ, quæ pugnabat cum gratia. Dixerat autem Propheta de eodem Christo. psal. 44. *Diffusa est gratia in labijs tuis*. Vt ergo auferret suspicionem largiendi propter gratiam labiorum, prouidit, ut ex iis gladius prodiret præcidens gratiam labiorum inducto iure gladiorum. Largitus est asperitati, quod negauit grati æ. Documento in iudiciis nihil gratiæ dandum, sed iuri, & rationi. Christum haud dubiè imitatur Sanctissimum Inquisitionis Tribunal, in quo non habetur ratio gratiæ humanæ, quæ corrumpit iudicia, sed iuris & iustitiæ. Nec obiicias Christum esse auctorem gratiæ, *Gratia per Christum facta est*. Ioann. 1. quia hæc gratia lõge diuersa est ab illa, de qua loquimur humana, inimica veritati, cùm Euangelium de Gratia Christi, quæ diuina est, dicat *plenum gratiæ, & veritatis*.



EMI-

EMINENTISSIMO
& Reuerendiſſimo Principi,
CARDINALI
FRANCISCO
BARBERINO.




Oc naſcente Principe nobilis in Cęlo prę expectatione tumultus fuit. Certantibus inter ſe Aſtris de tutela infantis. Nec quieuerunt, donec ſuperi eius cura ſuſcepta amandarunt ad cunas ſydera, quæ ambitioſo ſplendore inſeruerunt ſe crepundijs, vt radijs veſtirent infantem, ſed deluſa ſpe retraxerunt ſeſe, quòd ille abũdabat luminibus,

& in cunis orientis senserunt occasum. Et quidem adulti opera, vicerunt sydera. Micuit clariùs factis, quam astris. Nobiliùs astitit, Vrbano Octauo Pontifice Patruo, Romanæ Ecclesię, quàm Stellæ Lunæ. Hæ ferunt noctem: ille tulit diem, & sustinuit Cœlum, Atlas Vrbani: non tamen immobilis, sed irrequietus, & cum cœlo suo mobilis, vt circumferret lumina, & dispertiret mortalibus. Clauibus vsus, omnes thesauros doctrinarũ, & virtutũ aperuit, & effudit. Magna Catholici Orbis anima habitabat anguste in priuato corpore. Transijt in publicum, & animauit Orbem. Acre ingenium, celsa indoles, altum consilium, parem eum vnum omnibus Congregationibus reddiderunt. Nihil sine


eo ab Ecclesia, aut piè susceptum, aut prudenter administratum, aut præclarè gestum, aut feliciter confectum. Cunctæ illum dignitates inuitarunt: mira contentione, ceu hominem honores ambirent. Sacrorum obseruantissimus aram viuam se præbuit, & colendum ab omnibus, & immolandum pro omnibus, quibus se totum, & sua impendit. Victima pietatis vigilat, vt quiescant alij: eget, vt abũdent pauperes: sudat, ne laborent inopes: spoliat se, vt vestiantur egeni. Vnius proprium est amare miserias, vt subleuet miseros. Amore iuuat rempublicam; odio auget, quòd sola vitia odit: nec minus proficit cùm timetur, quàm cùm amatur. Effusis omnibus copijs nihil colligit præter scientias,

quas comprehendit mente capacissima, ſed eas iterum in uſum publicum effundit, & litteratos ditans, Męcenate maior, excitat ſtudia litterarum. Omnium curam habet, præterquàm ſui: eoque viuit auguſtiùs, quòd omnium in ſe curam conuertit, nunquam moriturus, cum alij proprias ei æternùm victuro vitas impendant. Mori neſcit, qui publico beneficio viuit. His virtutibus dignus effectus, qui & Purpurei Senatus Princeps, & huius Sacroſancti Tribunalis caput eſſet; & viua doctrinarum, & honorum ſumma exiſteret.



EMI-

EMINENTISSIMO,
ac Reuerendiſſimo Principi
CARDINALI
GABRIELLO



AVgusta oris, & corporis species Gabriellum nomine dignum affirmat; spiritus domicilio respondet. Nusquam nobiliùs habitat animus. Propria Angelorum, & diuersa munera vnus omnia erga sedem Apostolicam obit. Ardore charitatis, luce doctrinæ, splendore dignitatis, æquitate dominij, fortitudine virtutis, amplitudine potestatis, iure principatus, integritate iudicij, vigilantia

custodiæ, ad profectum reipublicę. Hæ virtutes beneuolentia conditæ admirabilem eum reddunt, & amabilem. Itaque interius cęlum foris in Ecclesia repræsentat: ac de illa, & superis benemeretur. Illud ei nouum, & gloriosum contigit, quòd cum Cœlum post transactas miserias beatos homines reddat, Gabriellus beatos in miserijs facit. Qui velit cōpendio quid sit virtus, & doctrina discere, Gabriellum intueatur, & solo aspectu eruditus euadet. Laborabunt tamen oculi; dum radiorum erumpentium copia præstringuntur. Tantus enim splendor exit, vt Soli æquiparari possit. Itaque aquilinis opus est oculis, vt in eo figatur obtutus. Noctem, & noctuas arcet, nisi Athenienses sint,

quæ

quę oliuæ Mineruæ aſſuetę, lucernas oleant, & ſtudijs operam impendant. Legationes impoſitas obit ſplendidè, pro dignitate perſonæ, ad Eccleſiæ vtilitatem, vt Angelo cognomini ſuo reſpondeat. Vbi, & quoties iura ſacra dicit, eius reſponſa ęſtimantur oracula; ſic accipiuntur, quaſi veniant Gabrielis ab ore.



EMINENTISSIMO,
ac Reuerendissimo Principi
CARDINALI
FACHENETTO



DVo huiusce præstantissimi Herois Ecclesiastici propria sunt: magna Fama, & iusta Expectatio. Nescio quid de illo mentes acutiores augurantur, & animi ardentiores affectant. Vota anteueniunt fastigia, & merita confirmant vota. Tot ille abundat virtutibus, vt beatus viuere posset, nisi intercurrentes morbi mortalitatis admonerent. Fortè concursus ille virtutum indiguit morsu doloris, ne ali-

qua gloriolæ specie tentaretur. Itaque & naturæ mortalis signa excellentiæ argumenta sunt. Erumpunt ex animo indicia præclara, acuminis, ponderis, prudentiæ, magnanimitatis, constantiæ, quæ admirationem pariunt, & qualis futurus sit, si in sumo collocetur fastigio, significant. Nemo illo doctior, nemo eruditior, nemo in Sacris litteris, nemo in rebus politicis versatior. Tanta est suauitate ingenij, vt omnes alliciat: tanta oris & corporis maiestate præditus, vt omnibus religionem inijciat. Sirenem eum dixeris illaqueantẽ animos concentu virtutum. Nec mari opus est, vbi amari incipit. Singulari est eius in superos pietas, in ciues benignitas, in exter-

nos humanitas. Deuincit hoſpites ad ſe venientes: nemo eius domi liber eſt, nàm cùm excipitur capitur, nec vult excludere nobilem ſeruitutem. Epiſcopi apud Paulũ Ideam veris coloribus exprimit. Paſtor Ouium, Cuſtos, & Vindex, Eccleſiæ defẽſor acerrimus. Theologiæ arcana rimatus, & vtriuſque iuris ſinus ingreſſus iuſtum conficit orbem ſcientiæ. In ſerẽdis ſententijs grauis: maturus: eloquens Catonem in Senatu purpureo Sacrum exhibet. Nec folia Sibyllina recitat, ſed oracula propè diuina pronunciat.

EMINENTISSIMO,

ac Reuerendiſſimo Prinicipi

CARDINALI

CYBO.



Cquis hunc Heroa dignis efferat laudibus? vt ad ſydera vſque euehatur, altiùs aſcendit. In eum natura omnia, quæ optari poſſunt, ornamenta congeſſit: ſanguinis, indolis, ingenij, iudicij. Fortuna contulit ſplēdorem, dominatum, opes. Gratia pietatem, modeſtiam, religionem. Iuſtitia videtur ingenita. Hæc ſola in bilance, ac menſura poſita: cæterę virtutes

in exceſſu verſantur, extra menſuram euagantes, vt toti proſint Reipub. Vltra vulgarem mediocritatem collocantur in ſummo: ob amplitudinem perſonæ: cui pares non eſsēt in medio. Decet in Cybũ quód eſt excelſum: quæq; in aliis excellere videntur, in eo depreſſa, cumulum, culmenq; exoptant, & obtinent. Quàm varia! & ſolida doctrina! Quanta ſubtilitas in ratiocinando! quanta prudentia in conſultando! quanta æquitas in iudicando! Eius calculus omnes numeros ęquitatis continet. Omnia ſunt in eo grata, iucunda, pia, & in omnes partes recti flexibilia. Vnum iudicium inflexibile. Hoc Angelicum habet. Spirat Hieronymum eruditione,

Au-

Augustinum acumine, Ambrosium suauitate, Gregorium pietate, Athanasium constantia, Basilium integritate, Nazianzenum grauitate, Chrysostomum magnanimitate. Doctrinam verò omniũ exhibet. Domus illius doctorum hominum, & perfugiũ est, & hospitium, in qua qui pedem ponit hospes esse desinit, quòd hospitium pro beneuolentia domini in domicilium mutat. Quos impares, & similes natura, vel fortuna tulit, coniunctio studiorum similes, & pares facit. Si quæris vbi habitat Vrbana litteratura, cum tribus gratijs, scias apud Cybum Purpureum Principem habitare.

EMINENTISSIMO
& Reuerendiſſimo Principi,
CARDINALI
OTTOBONO.




Vi videat præclara lineamenta vultus, & vibrantem oculorum aciem, & auguſti oris ſpeciem, planè ſentiat quoſdam arcanos impulſus amoris, & reuerentiæ erga Heroem conſpicuis dotibus inſignem, quem ætas noſtra tulit ad documentum doctrinæ, & virtutis ſingularis. Peregrina gemma in Venetis vndis orta, è longiquo oriun-

da. A Cyprijs Aquilis accepit ingenium cum ſplendore ſanguinis clariſſimo, acre ſubtile, acutum, cum maturitate iudicij, & grauitate morum copulatum. Nihil niſi altum cogitat, nihil niſi ſublime meditatur, animo excelſo, generoſo, anhelante æternitatem. Confluentes in ſe dignitates, auidas honoris, meritis anteuertit, & acceptas minores reddidit. Erubuerunt, & intulerunt purpuram pudore nobili, quòd non æquarunt virtutes. Venetijs inuidit Capitolium caput Ottoboni, capite orbis dignum, ſeque beatum duxit cum vidit, ac vt eo frueretur ex Patritio Veneto patrem Romanum fecit. In Rota collocatus
cæle-

cęlestis sphęræ intelligentiam præfetulit. Tantus hic vir est, vt tota Curia in eo niti posset, si columnis indigeret; & ipse sustineret solus, nisi pares socios habuisbuisset. Ad summa natum igneus quidam vigor in superos agit, in quorum habitat vicinia; immortali propior, quàm mortali. Non eum capit terrestris orbis. Erumpit ex angustijs vastus, ac liber spiritus,& auras anhelat puriores; inuitant eum sydera, vt meliùs luceant. Planetæ alliciunt ne illo Duce errare contingat. Sydera prouocant, ceu in eo firmamentũ quærant, in quo firmiùs possint consistere.

EMINENTISSIMO
& Reuerendiſſimo Principi,
CARDINALI
ALBIZZIO.




Alue Reipublicę Purpurantis Heros: Fidei lumen: Hæreſis fulmen: Religionis columna: Eccleſiæ propugnaculum! Tu ſingulari prouidentia à Deo datus, vt graſſantes errores compeſceres, & obiecta tui pectoris inuicta fortitudine infringeres, & labefactares. Doctrina irrefragabilis; moribus integer; indole generoſus. Alios Heroicæ virtutes Heroas faciunt: in

te fiunt virtutes Heroicæ. Nemo te altiùs ad ſuperos magnanimitate aſcendit, nemo demiſſiùs ad miſeros pietate deſcendit: eo tuã amplitudinem: hoc tuam humanitatem oſtendis: vbi oportet admirabilis: vbi decet amabilis. Extra Romam natus,nactus es indolem Romanã: PARCERE SVBIECTIS, ET DEBELLARE SVPERBOS. Cùm omnes ſcientias doctrina, vſque didiceris, tria tamen diſcere non potuiſti, metum,auaritiam, adulationem. Tam iuſtus es, vt ſi tunc viueres, cùm Aſtræa terras fugit,tuum aſtris prę latura eſſet domiciliũ.Omnia quæ in te ſumma ſunt, ornamenta,iuſta ſunt.Nec quidquam debes, aut fortunæ, aut gratię.Pu-

deret te nisi à iustitia ornari. Nec ista parum sudauit, ut paria tibi præmia quæreret; cùm tua merita æquari vix possint. Tunc timuit sibi iustitia, ne iniustitia videretur, quòd equale reddere non posset. Nec illa timere desineret, nisi tu pro tui animi magnitudine hãc ei solicitudinem ademisses. Ambitionis expers, merita in præmijs numerasti. Frustra fatigat se fama vt præclaras dotes animi tui suis laudibus consequatur. Licet magna de te referat, minora, quàm par est, prædicat, Sed quod illa prędicare nequit, supplet tuę admiratio virtutis, quæ vincit expectationem, superat inuidiam, lacessit ipsam, quam tuo prefers Stemmate, Æternitatem.

EMINENTISSIMO
ac Reuerendiſſimo Principi
CARDINALI
CHISIO.




Era Eccleſiaſtici Principis effigies in Flauio Chiſio expreſſa viſitur, plena dignitatis, plena maieſtatis. Qualem geſſit viuo Alexandro Pontifice Maximo, Patruo, cuius auguſtam præſefert imaginem. Miratus eſt in adoleſcente Orbis erumpentes in acerba ętate maturas virtutes, quas ſingularis gratia commendabat. Nec minus theatrum tantã decebat perſonã. Cumulatus honoribus, omnes ſu-

ſtinuit,& ſuperauit expectationẽ. In ijs gerendis & aſtra, & claues in poteſtate habuit. Felix iuxtà & amabilis. Totus quãtus eſt, ſe ad Eccleſiã confert, ceu recturus eandem; nec illa non vocat ad Tiarã, effuſa in vota, & preces Roma, Cupida fruẽdi maturis fructibus, cui vel acerbi placuerunt. Perge porrò ire, Flaui, viã, quàm affectas beneuolentiæ, ac beneficentię publicę, quę Alexãdri, & Chiſiæ clariſſimę gentis propria ſemper laus fuit. Tuũ eſt bene mereri de omnibus, & omniũ ſtudia promereri. Nulla eſt in Flauio virtus aut parca, aut otioſa. Omnes abundant, & redundant in alios. Omnes ſunt in perpetuo beneficentiæ motu; & ſicut Princeps planetarum Sol

circumactu lucidi orbis dispensat lumina: ita & Flauius Princeps sua ornamenta, munifica volubilitate circumfert, & quàcunque graditur liberaliter dispergit, & impartit. Ea officia Principum optimè collocantur, quæ in commune transeunt beneficium. Viue Chisi, vltra terminos mortalitatis positus, æternitatis candidatus.



EMINENTISSIMO.
ac Reuerendiſſimo Principi
CARDINALI
ALTERIO.



I ſuperbire virtutes poſſent in hoc Principe Alterio ſuperbirent. At cum ſuperbæ eſſe nequeant, elatæ ſunt, ac generoſæ,& tumore quodam nobili glorioſæ. Certè tot tamque illuſtres ſunt, vt niſi ei principatus datus eſſet, fieri virtuti videretur iniuria. Ambiunt alij dignitates, ſubornant imperia: hic meritis exigit. Alij pre-

cariò imperant, hic iure. Tanta honorũ multitudo eſt, vt nullus deſideretur: tanta præſtantia, vt omnes in ſummo ſint. Ita ſe prodũt, vt emineant; emineantque adeò, vt ex alto proiectis radiis præſtringant oculos tanti ſplendoris impatientes. Quantum in eo acumen ingenij? quantũ pondus iudicij? quanra maturitas cõſilij? Quæ magnanimitas, quæ amplitudo? Nec ſolitariæ ſunt, ſed forenſes, non abſconditæ, ſed in lumine collocatæ: experientia probatæ, & ignis quibuſdam morſibus purgatiores: prorſus dignæ, quæ ſplendidiſſimis Clementis Decimi ſyderibus alluceant. Creſcũt in dies cùm augeri non poſſint. Alterius, cùm iuris ſui ſint,

eas liberalitate ſua alterius iuris facit , & cùm in eo dominantur, ſeruiunt reipublicæ. Sed glorioſiora exiſtunt cùm fiunt ciuium mancipia. Præſunt vt proſint, proficiunt cùm alijs proficiunt. Fortunat Eccleſiam Alterius, cùm ſuas omnes in eam impendit fortunas. Clementis Decimi claues docet magiſtra manu ſoluere magis, quàm ligare; aperire potius, quam claudere. Hoc mirabile, quod dum videtur contrahere vſum clauium ad beneuolentiam, auget beneficia, amplificat Eccleſiam.

EMINENTISSIMO,

ac Reuerendissimo Prinicipi

CARDINALI

ARAGONIO.



Vanta lux Toletana in Arce è fumosis imaginibus Aragonii Cardinalis oboritur! Sed ille fumus regius est,& omnem lucem exuperat. Inuoluunt clarissimum Solem fumeæ nubes, & diem Soli Hispaniæ reddunt. Omnia in se posita ornaméta videt, circumfluens dotibus redundat in alios. Eius caput nobilissimarum curarum Sedes. Cor affectuum piorum domicilium est.

Acu-

Acumine valet, & pondere cùm consiliat, alacritate & dexteritate cùm agit, prudentia, & solertia cùm dirigit, auctoritate, ac felicitate, cùm conficit publica, & Ecclesiæ, & regni negôtia. Vtrumq; nouit: Philosophari, & regere; & Platonis compositam ad omnem perfectionem rempublicam præstare. Quo studio exerit publicas virtutes, eodem priuatas occultat. Ad Superos conuersus vni Deo vacat: reuersus ad imos vniuersis hominibus consulit. Miscet se orans Angelis, & ab iis vix dignoscitur, vt non emineat. Rursum dat se miseris, & donando proficit, vt appareat. Cùm sit locupletissimus depauperat sese locupletaturus egenos; cùm sit illustrissimus

comprimit radios, vt longiùs ſpargat; cum ſit largiſſimus ſtringit ſe domi, vt foris effundat in pauperes. Vſuram tamen capit, multò pluſquam donat, cum omniũ ad ſe corda rapiat. Adeo vt vitio quodãmodo nobilitetur rapinæ. Quis crederet tantum Principem vſurarium, & raptorem fore, & hęc vitia in virtutem verſurum? Nulla facta verſura? Sed hoc regiæ virtutis eſt, quæ in eo cum regio ſanguine eniteſcit. Dare opes, & recipere amorem, & gratiam egenorum.




EMI-

EMINENTISSIMO,

ac Reuerendiſſimo Prinicipi

CARDINALI

PICCOLOMINEO.



SVffarcinatus hic præclariſſimis familiæ ornamentis nobiliter ſudat, ſed abſtergit ſudorem propria, & inclyta virtus,quæ parẽ eum reddit maioribus, & ſudor tranſit in gloriam.Erudito in puluere prouocauit purpuram auidam ſui. Multa eam ornaméta anteceſſerunt, vnũ conſequetur uẽturum.Nec illa occupauerunt immeritum, & iſtud inueniet merentem.Grauitas cum

facilitate coniuncta amorem ei apud omnes, reuerentiamque cõciliat. Gratiam publicam virtus promeruit. Vſus commendauit virtutem; nec enim hæc ſolitaria in Piccolomineo fuit, quæ in politicis rebus exercita altè eminuit. Rubeſcit in purpura: ſed non erubeſcit; quòd eam meruit, & exaltat. Illam aſtris inuoluit,& felicẽ reddidit. Fortunabit orbem ſi ſinus explicet: etenim ſi excutiat, effundet ſydera intra lacinias collecta. Beatus Genius huius Herois altus, generoſus, magnanimus ad ſumma nititur: & vel ad ſublimia aſcendit, vel ea ad ſe trahit. Nec repugnant, quòd vbicunque ille ſit, ibi faſtigium, & culmen, & apex eſt. Solis inſtar graditur, &
con-

conficit ſigna lucentia, & vniuerſum Eccleſię orbem luſtrat, & fouet; ſemper infuſa luce, vt diem efficiat, & noctem abigat, niſi cùm ad communem quietem ſpectat. Dandum ideſt Piccolomineę genti, vt omnes rationes ſuas, fortunáſque priuatas ad publicam vtilitatem ſemper retulerit, ac ex communi bono ſua commoda æſtimauerit.



EMI-

EMINENTISSIMO
& Reuerendissimo Principi,
CARDINALI
ROSPIGLIOSO.


Itterarum is columen; & virtutis lumen sustentat, & illustrat Ecclesiam. Numine propiore afflatus Clementis IX. Patrui Pontificis, breuis quidem vitæ: sed non interituræ memoriæ. Illius est virtutum imago, quarum ille idea extitit. Spirat animam illam Pontificiam, & spirat in eo suauissimus Christi odor quem redolet. Si probitas, si fides, si religio, si clementia spectari ocu-

lis

lis possent, eæ in hoc Principe expressæ viderentur. Debent alij virtutibus, huic virtutes debēt, quòd eas reddit in persona sua suaues, & amabiles. Sunt qui noceant virtutibus austeritate ingenii, hic proficit suauitate. Ameniores adolescens litteras coluit, rorida cælestium doctrinarum eruditione aspersas. Hinc pullulauere, ac purpurauere rosæ, quæ in purpuram abierunt. Hac illustris micas inter Patres, & emines virtutibus, quæ in te videntur ex compacto confluxisse, ne qua deesset, de loco solicitæ, quòd timerent ne, si in te non essent amitterent opinionem virtutis. Tantum in te est, Rospigliose, momenti, vt ex te æstimari dotes velint. Ijs volare cùm pos-

ſis,tanquam alis ad culmen, lentus gradatim ire mauis, vt exemplum imitantibus relinquas, & præclarum meritorum ſpecimen prębeas, ne aut fortuitò, aut precariò ad faſtigium aſcendiſſe videaris: ſed veris,& ſolidis virtutibus nixus culmen obtineas. Roſpiglioſę domus laus eſto:dignitates non ambire, ſed promereri, & depoſitis priuatis ſtudijs, communibus ſuffragijs aſſignare, & in vſum Reipub.conuertere.



EMI-

EMINENTISSIMO,

ac Reuerendiſſimo Prinicipi

CARDINALI

PVERTOCARRERO



Vanta ſpirat in hoc Principe purpurato dignitas! quanta maieſtas! vel viſus probat ingenitam nobilitatē. Suſcitat vnus Maiores ſuos, & ſuſtinet, clarior reddito ſanguine, quàm accepto. Hiſpani acuminis indices ſunt oculi: in ijs animus viuit, ac erudit intuentes. Nec tã vero ille ſubtilis eſt, quàm ipſa ſubtilitas: re vincit exaggerationem. Mens fœcunda doctrina, di-

disciplinis spirat. Theologiæ apicem tenet: arcana scripturarum nouit: per vtriusque iuris fibras se se insinuans iustitiæ medullas attingit. Arguit vt Scotus: docet vt Sanct. Thomas: iudicat vti S. Bonauentura, cõfirmat vti Albertus: conuincit vti Alensis. Omnium colligit animas, & voces reddit. Dotes faciliùs admireris, quàm laudes. Extra inuidiam, præter fortunam, vltra expectationem sunt: germanæ, solidę, graues, blanda quadam vrbanitate conditæ, mira conciliatricula voluntatum. Quot sententiæ tot faculæ: quot consulta tot lumina: quot consilia tot sydera, cum opus est veritate. Nec fulmen desideres, si opus sit seueritate: verùm humanitas in-

nata: ſeueritas accerſita. Virtutes & in cumulo & in ſummo habet: omnes in publicum erumpunt: haud patitur generoſitas in occulto, priuatoque conſiſtere. Harmoniam efficiunt, quia ſimiles: diſcordiam, quia pares. Hinc ambitio contentionis: cùm ex eo, quòd ſe nouerint excellentes, videantur ex æquo inter ſe de principatu contendere.



EMI-

EMINENTISSIMO
& Reuerendiſſimo Principi,
CARDINALI
CARPEGNÆ.



Ic te ſiſte, Heros magnanime, vt te admiremur, inſignem purpura, cumulatum virtutibus, auctum honoribus, omnibus ſuperiorem, ne dum parem: capacem plurium. Ob ingenij beatitatem. Vnus è tuis, quos geris magiſtratus laſſaret Herculem. Tu onuſtus omnium mole pondus non ſentis. Imò in alas honores vertis, & volas. Illud mirabile te nullam ob

con-


congèſtas dignitates ſubire inuidiam, imo gratiam colligere. Gratiſſimus vſque ad delicias populi, qui in te purpuratũ Titum agnoſcit. Vni tibi contigit conſumere inuidiam, cùm ſumis honores. Scilicet tibi donantur, non à te ſubornantur. Expectas, non ambis. Obtines, non occupas; nullum prenſas: te inopinantem apprehendunt. Geris incorruptè: adminiſtras integrè, collocas vtiliter, vt reddere videaris debitos, non habere proprios. Nihil ex ijs ad te redit præter ornamentum: emolumenta relinquis alijs, vt fruantur; laboras, vt alij quieſcant, magna inde gloria in Clementem Decimum redundante, quòd quęcunque tibi detulit munera, ea

iuſtè contuliſſe putetur, ita vt ſint non Clementiæ Clementis, ſed iuſtitiæ Iudicis tribuenda. Loci in quibus ſacrum ius dicis, & Eccleſiaſtica beneficia diſpenſas, quæ antea erant ſeminaria querelarum, hodie ſunt promptuaria laudum tuarum. Nemo te carpit Carpegna, imo te capiunt in cordibus, & tu vniuerſos capis beneuolentia, ut te CARPEGNVM deflexo paulùm nomine CARVM PIGNVS appellent.



EMI-


EMINENTISSIMO
& Reuerendissimo Principi,
CARDINALI
ESTREO



SI quis vnquam Heros humanæ sphærę limites transgressus affectauit superos, ac eos propiùs, quàm mortales contigit, is est Cardinalis Estreus, qui tot, tamque miris ornatus virtutibus, vt ambiguũ faciat, sit ne apud nos natus, an ad nos è cęlo lapsus? Augustior eius est, quàm pro humano habitu species, & affirmat altiorem originem. Omnem non modo expo-

ctationem superat, sed etiam consumit. Nemo auderet sperare, quod ille pręstat: tum in sacris dum facit, tum in Curia dum consulit, tum in Scholis dum docet, tum in Republica dum regit. Scripturarum diuinarum, quàm peritus! Sacrorum Canonum, quàm sciens! Vtriusq; iuris quàm prudens? In Concilijs quàm versatus? Theologicarum disciplinarum quàm gnarus? Forensium rerum quàm expertus? Concipe, quam voles, ideam perfecti in omni genere virtutum Viri; & illam Estreo Cardinali applica, votis respondebit; imò & ideam imperfectionis arguet, quòd non æquiparet exemplum. Incapax est eius amplitudinis fabula, quæ ne fa-

bulando quidem poteſt quidquā addere veritati. Minus, quàm ſit verum, exaggerando finget. Cùm ex lege poetica ornamenta cumulet, nullum erit periculum mentiendi. Demi ex eo poteſt, & accipi, quo alii abundent. Ipſe ſibi vnus ſatis eſt, & par. Solitarius implet orbem, & impleret alios, ſi in vacuo eſſe poſſent. Suſpirat ſe in arcto eſſe, ſicut Alexander, quòd vnius mundi anguſtiis contineri non patitur.



EMINENTISSIMO

ac Reuerendissimo Prinicipi

CARDINALI

AZZOLINO.



Vc ades purpuratum sydus, Ecclesiæ corculum, Romanæ Curæ ocellus, summa votorum, cumulus dotium, virtutum compendium, amoris, & admirationis scopus, schola gratiarum. Nemo te vrbanior, nemo suauior, nemo acutior, nemo prudentior, factus ad gerendam rempublicam, genio, & ingenio, & vsu rerum maximarum. Vtriusque politicæ norma & es,

& haberis cum publico desiderio, & plausu. Occultis motibus animorum ad suprema impelleris: Quod optant corda, augurantur mentes. Decent generosum sublimia. Nihil tam est altum, quod meritis non sit tuis inferius. In publicis caussis quod est arduum expedis, quòd graue sustines, quod perniciosum auertis, quòd vtile admittis, & præstas. Illa summa laus est, quòd omnia tua ornamenta tibi debes: ex te cuncta profundis. Alij fiunt tempore, tu momento excellens beatissimi ingenij fœcunditate. Singularis tua prærogatiua fuit, quòd Augusta Christina nostri æui Herois, doctrina, & virtute incomparabilis, cùm fidem est

professa Catholicam, & Romæ posuit domicilium, te vnum elegit cuius consilio in dubijs, cuius opera in arduis vteretur: quod sanè fuit de tua prudentia, & virtute ad magnam tui nominis gloriam illustre præiudicium. Serus ad superos eas; nam dum inter nos fueris, Romanam Ecclesiam fortunabis.



EMI-

EMINENTISSIMO,

ac Reuerendissimo Prinicipi

CARDINALI

CASANATÆ.



O Quem te memorem! cuius virtutes nec pro multitudine numerari iustè, nec commemorari pro dignitate exactè possunt. Alibi sunt in numero, in te innumeræ. Pondus habent propter grauitatem iudicij, sed oneri non sunt, quòd à superis sunt, teque ad summa leuant. Alię iustam mensuram habent, tuæ mensura carent, quòd excellunt. De numero illud solùm in te quadrat,

drat,

drat, quòd ſis omnibus numeris ab ſolutus. Tua multiplex eruditio extra te poſita miraculo eſſet; in te, quòd videtur innata, excludit miraculum. Eo tamen mirabilior, quòd quocunque te vertis, nunquam extra ſcientiam pedem ponis. In vno ſtans veſtigio Encyclopædiam conficis. Simul ac appares, Cœlum Stellis conſpicuum repręſentas; diſtinctum luminibus doctrinarum. Solem Orietem refers, dum fulges, ac reddis diem: Occidentem dum nitidus doctarum oleo lucernarum de nocte ſplendes. Phęnix ingenij eſſe poſſes, ni Phænix fabula foret. Metum mortalibus adimis de iactura Bibliothecarum, cùm et ſi omnes pereant, eas tu reſtituere memo-

riæ beneficio poſſis. Vniuerſos libros in numerato habes. Extra omnem ingenii aleam poſitus fortunæ aleam non pertimeſcis. In Caſanata Caſta nata eſt propter odorem fragantium virtutum. Nacta in te litteraria Reſpublica eſt viridarium amęniorum litterarum, paradiſum ſacrarum doctrinarum, in quo mortalium ingenia benè collocari, & feliciter beari poſſint.




EMINENTISSIMO,

ac Reuerendissimo Prinicipi

CARDINALI

NERLI.



I vſquam in acerba ætate, maturæ indolis, grauis iudicij, multiplicis doctrinæ, ſpeciem vidiſti, lector, in Cardinali Nerlio vidiſti. Eruditum dixeris miracu'ũ, ad ſtuporem doctarum mentium comparatum. Si concutiat pectus theſauros prodet abſconditos ſcientiarum ad locupletandam rempublicam litterariam. Vbi pedem ponit orbitam doctrinæ impreſ-

ſam videas, per quam ſi quis ierit iuſtam Encyclopædiam conficiat. Quid? quòd vltra ætatem maturus, doctam præſefert ſenectutem, ac experientiam anteuertit. Videtur in numerato habere omnia publica negotia, & quaſi comprehenſa è mente in publicam lucem afferre. Suſcipit alacriter, ceu innata ſibi fuiſſent, & tanta facilitate conficit, vt ijs videatur imperare. Inuitant eum ardua; quæ alios deterrent. Quod Dei proprium eſt, habere omnia in ſua æternitate pręſentia, de eo, quantum licet homini, Nerlius participauit, vt in tempore res penè infinitas attingat ope ſcientiæ. Puderet Nerlium, ſi quid ignoraret. Ita ſtudet quaſi deſti-

tuatur ingenio: tam valet ingenio, vt ſtudio non indigeat. Vtrũque tamen coniungit, nequid alteri detrahat; & documento ſit alijs, ingenio opus eſſe ſtudijs. Memoria ſingulari præditus, ſignificat ingenita ſibi eſſe, quę docet; addit vſum, & experientiam rerum politicarum, in quibus ſpecimen præbuit multiplicis notitiæ, maturi conſilij, exquiſitę prudentię, qui velit emendatiorem politicam, Nerlium conſultet oraculum.



EMINENTISSIMO
& Reuerendiſſimo Principi,
CARDINALI
COLVMNÆ:



NActa eſt hunc Principem domus Columnia voto,& euentu feliciſſimo, quòd nouerat illius ornamenta gloriæ ſibi futura. Vt omnes Heroas colligeret eum adſciuit, in quo erat omnium ſumma Heroum. Nec ille fefellit vota, cùm ea impleuit,& expectationem ſuperauit. Auxit purpura paludamenta Martialis familiæ. Aſtra Galeri Mercurialis galeis criſtatis

tis admiſcuit. Rubra quidem, ſed extra ruborem. Si virtutes pondus haberent, tot in eo ſunt, vt columna ad ſuſtentaculum opus eſſet: at illæ in pennas conuerſæ ad faſtigium honorum volant. Intra merita manent dignitates: prodeunt cateruatim, vt ſequantur dotes. Nec virtutes ſingulæ cõſiſtũt, ſed nexæ. Ingenium cum pondere, ſubtilitas cum iudicio, magnanimitas cum moderatione, grauitas cum facilitate, cum religione humanitas, cum ſeueritate ſuauitas. Quam harmoniam fingebat Pythagoras in motu orbium cæleſtium, eam Columna inducit in verſanda ſphæra virtutum. Omnes illum deſiderant: ille deſiderat nullam. Dolet quòd non

ſunt plures, vt impleant capacem animum: ſupplet tamen numerum magnitudine, nullam quippe exiguam nouit. Perge ijs frui purpurate Princeps, & ornare Rẽpublicam: quę in te tanquam in Columna conſtanti inclinata recumbit. Quòd ſi ignea Columna opus eſt Eccleſiæ dum procedit, & nauigat, tu ei Columnam, firmiſſimam, & Pharum clariſſimam pręſtare potes.



ILLVSTRISSIMI,
ac Reuerendiſſimi D.D.
PRÆLATI
Qui Conſultores dicuntur.

Stephanus Vgolinus Patriarcha Conſtantinopolitanus.

VIr acerrimi ingenij, grauiſsimi iudicij, exquiſitæ prudentiæ, ſpectatæ experientiæ, ad omnia ſumma natus, & factus; dignus qui in ſuprema Patriarchali poſt Romanam aliquando Sede, cum Nazianzenis, Chryſoſtomis, Ignatijs ſedeat.

Iacobus de Angelis Archiepiſcopus Vrbinas vices gerens Eminentiſſimi Cardinalis Vicarij.

SPirat in hoc acumen maturitate conditum, præclara indoles, cum dignitate coniuncta: Dexteritas generoſa ad ſuſcipiendas, & agendas Sancti Officij cauſas, & ad reliquas Romanæ Curiæ expediendas accommodata, & in vſum publicum reducta.

Stephanus Brancaccius Epiſcopus Viterbienſis.

SVmma in hoc dignitas oris, & corporis, virtus eximia, doctrina multiplex, mira morum ſuauitas. Vera is Car-

dinalis Brancacij Effigies, quam cum ſpei vſura Reipublicæ Chriſtianæ exhibet, ad quam diuina prouidentia tuendam natus, ornandam factus, amplificandam inſtitutus.

Franciſcus Maria Phæbeus Archiepiſcopus Tarſenſis Sancti Spiritus Commendatarius.

HVnc vltra Phœbum meritis euntem intuere, librorum doctiſſimorum radijs coruſcantem. Nihil ei deeſt, vel doctrinæ, vel dignitatis, vel virtutis ad gloriam. Omnia in ſe poſita ornamenta videt, & illorũ aſpectu fruitur. Beatum ſe putat, cùm prodeſt Reipublicæ, cui omnia ſua, & ſummam contulit. De cætero minimè ſolicitus. Magis de illo ſolicita eſt Purpura, quę quòd in eo non rubeſcit, erubeſcit.

Stephanus de Auguſtinis Archiepiſcopus Heracleenſis.

HIc iuris vtriuſque normam, iuſtitiæ exemplum, æquitatis imaginem animatam exhibet. Domi ſtudioſus, foris negotioſus: priuatis, & publicis Officijs ita fungitur, vt omnium votis ciuium ſatisfaciat, gratiam colligat, & æmulorum extinguat inuidiam.

Marcus Gallius Epiſcopus Ariminenſis.

OMni præconio maior fatigat famam, expectationem vincit, acroamata publica meritis obtundit, quòd refint minora, quàm merita. Cogitat ſublimia ſumma meditatur: ipſe ſumma viuax virtutum in loco illuſtri poſitus eminet.

Ma-

Marius Fanus Episcopus Cyrenensis.

Congesti in hunc honores cumulum virtutum indicant; quas si cum ijs conferas, pares inuenies. Impetu quodam dotes effusæ significant animi vbertatem: ijs rempublicam, & iuuat, & ornat ad speciem beatitatis.

Camillus Piazza Episcopus Dragoniensis Assessor Sancti Officij.

IN hoc Assessore spirantem quandam videas illius Assistricis apud Salomonem Sapientiæ imaginem. Cuius habet in mente capacissima reconditos thesauros, quos cum loquendo aperit, gemmas effundit. Valet iudicio, pollet ingenio, præstat eloquio, abundat virtutibus, ijsque tum decorat dignitates, tum pronocat obtinendas: quas ei iustapiorum vaticinia augurantur.

Ioannes Thomas Roccaberti Generalis Ordinis Prædicatorum.

HVc ades, Roccaberte, rupem apertam aquarum cælestium ingerens, & deductis virtutum riuis irrigans Principem Prædicatorum Ordinem, & Sancti Officij Tribunal, quæ in te diuina prouidentia confluxerunt. Omnes summæ, & tantæ dignitatis, vt de principatu inter se contendant: nusquam certè ad priuatam gloriam nobiliùs, nusquam ad commune bonum vtiliùs collocantur.

Raymundus Capisuccus Sacri Palatij Apostolici Magister.

ET tu quoque, Raymunde, radijs mundum illustrare perge, cùm tot lumina comprehendas, & alterum Diuo

Thomæ Solem addas: cuius in te viuam imaginem exprimis tum augusta specie , tum doctrinæ soliditate, tum virtutis claritudine. Harum tu specimen in tuo præclaro de Controuersijs tomo præbuisti.

Dominicus Pozzobonellus Commissarius Sancti Officij.

His te socium adde, Pozzobonelle, quem spiritus viuax, mens acuta, subtile ingenium, graue iudicium, exquisita doctrina, virtus singularis ad hoc munus obeundum habilem, aptumque reddiderunt, vt nihil optari possit præstantius. Qui perfecti Comissarij Ideam desiderat , is in Pozzobonellum intueatur.

Laurentius Brancatus Laurea.

O Te virum huius ætatis mirabilem! mentis fæcunditate, genij amplitudine, doctrinæ varietate, ingenij acumine, morum integritate excellentem! Sphyngem Sacram dixerit, qui te videat omnes Ecclesiasticas Controuersias explicantem. Perge ire ad astra tot libris editis, qui te solidissimum doctorem testantur, & viuam Bibliothecam vltra Vaticanam, cuius es Custos, declarant.

Michael Angelus Riccius

INgenio summo, iudicio excellenti, virtute multiplici memorabilis. Ornatissimæ Bibliothecæ auctor, cuius ipse anima est, quam cùm priuatus indefesso studio exhauriat, publici iuris facit, retento tamen dominio, cùm totam doctrinam possideat, secumque quocunque vadit, Sapientia manantem circumferat.

Cappa Sancta Socius Comissarij Generalis

IVstum & fidum Commissarij Achatem se gerit. Arma ei litteraria suppeditat, ipse strenuus, & belli Ecclesiastici peritus, & vltra socium doctus.

Petrus Serista Fiscalis.

MVneri suo par, acer, prudens, solers, seuerus, nequid vel fraudis, vel doli ad Sanctissimum Tribunal obrepat diligenter inuigilat.

Alexander Lucidus Aduocatus Reorum.

HIc aduocationem piam adhibet reis, & spei filum magistra manu ad euadendum labirynteos difficultatem mæandros porrigit.

Franciscus Riuardus Notarius.

QVasi venator diligens sensa, & dicta exscribit summa fide; vt constet de veritate. Scripta mandat æternitati.



CO-

COROLLARIVM

De vnione huius Sacrosancti Tribunalis cum suo capite Papa, & virtute inde emanante ad decidendas controuersias Fidei.

SECTIO I.

Papam esse Regulam visibilem Fidei, & Iudicem controuersiarum Traditione ostenditur.



DVo constituunt Doctrinam Ecclesiæ, Veritas fidei reuelata, Hæreses contraria euersa. Vtrunq; ad caput Romanum Pontificem spectat: cuius est declarare articulos Fidei, credendósque proponere, & errores propalare, & arcere. Ille magnus Pontifex Apocal. 1. Gladium exerebat *ex vtraque parte acutum*, vt vna acie exponeret Fidem, altera hæresim præcideret. Duas hûc Claues traho: alteram quæ aperit ostium Fidei; alteram quæ claudit ostium hæreseos. Articuli fidei non fiunt à Pontifice, sunt quippe à Deo, diuinæ, ac æternę veritatis. Reuelati proponuntur, & declarantur à Pontifice. Hæreses contrariæ fiunt, & fabri-

cantur ab hæreticis. Deprehenduntur, & reijciuntur vti figmenta à Pontifice. Id nos docuit Christus Io. 10.in parabola Pastoris. *Pastor vocat oues, quæ illum sequuntur, & vocem eius audiunt. Furem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum*, idest Hæreticorum. Eiusdem est *Pascere oues*, & Lupos auertere. *Pasce oues meas*. Hoc munus ab initio Ecclesiæ suscepit,ac exercuit primus post Christum Sūmus Pontifex Petrus. Act.11.& 15. statuens legem gratiæ cum baptismo: refutans legem Moysi cum circuncisione. *Per os meum*, ait cap.15 Idem reliqui Pontifices Christi Vicarij Petri successores obierunt, & quod proprium Inquisitorum est, cum suo capite hæreses condemnarunt. Redeamus ad Petrum.

Petrus Simonem Magum primum Hæresiarcham proscripsit, & extinxit.

Eleutherius Marcionem, & Valentinum damnauit, teste Tertulliano in lib. de Præscriptionibus.

Victor Theodorum Byzantium excommunicauit Auctore Theodoreto lib. 2. hęret. fabul. & ante illum Eusebio lib. 5. c. 27. dum refellit calumnias Artemonis, & sectariorum in Victorem.

Zephyrinus Montanistas cum Proclo eorum Antesignano, & Tertulliano hyperaspiste proscripsit.

Fabianus Priuatum hæreticum Romæ confixit iuxta Cyprianum Ep.55.

Cornelius Nouatianum communione priuauit, vti scribit Eusebius lib.8.cap.35.

Dionysius Paulo Samosateno anathema dixit, quod Felix primus suis literis decretalibus confirmauit. Ex Athanasio de Synodis, & Eusebio lib.7.cap. 24.

Melchiades Donatistas exegit. In eius vita.

Sil-

Syluester Hippolytum, Callistum, Victorinum in 2. Romano Concilio eiecit ab Ecclesia. Arianos idem Syluester sæpè, & Iulius Primus, & Felix Secundus anathematizarunt.

Damasi extat sententia contra Vitalē hęresi Apollinaris infectum lata, & in Epistola ad Paulinum, & in actis Concilij Romani 3. Vix alium Pontificem plures damnasse errores comperies. Ille Arianos, Semiarianos, Apollinaristas, Sabellianos, Macedonianosq́ꝫ, Eunomianos, Photinianos, anathemate percussit.

In Siricio eam potestatem agnouit Ambrosius, & Mediolanensis Ecclesia in Epistola ad eundem.

Innocentius Primus Pelagium, & Celestium condemnauit.

Zosimus post longam dubitationem eosdem tandem proscripsit.

Bonifacius Primus Maximum Episcopum Manichæum confixit. Semipelagiani à Celestino Primo compressi, & Augustini doctrina consecrata. Nestorius condemnatus.

Sixtus Tertius damnauit Pelagium, Celestium, & Nestorium.

Leo Magnus omnium penè hæresum, quasi nouus Hercules, & domitor monstrorum fuit. Epistola illius Prima Manichæos damnatos ostendit. Rescriptum ad Flauianum, quæ est Epistola decima, & ad Iulianum I I. adhuc ante coactum Chalcedonense Concilium monstrat hæresim Eutychetis, & Dioscori esse confixam. Quod manifestiùs patet ex sequentibus post congregatos in Synodo Patres ad complures scriptis. Huc pertinet Synodi secundæ, Ephesinæ condemnatio, de quo

tot

tot epistolæ scriptę reperiuntur. Damnati Nestorij in Epistola 45. ad Pulcheriam Augustam testimonium est. In vtranque sæpe hæresim extremè oppositam fulminat Epistola 48. & 49. & 52. Literæ ad Palęstinos Monachos magnam errorum vim euertunt. Epistola 40. ad Nicetam Aquileiensem Episcopum Pelagianos percellit. Epistola 93. in Priscillianum fulgurat. Apollinarem Nestorio sæpe, & Eutycheti socium, dum vtrunque execratur, adiungit. Legat qui volet vnam ex illis Epistolis 97. ad Leonem Augustum. Quin Timotheo quoque Alexandrinæ Ecclesiæ Inuasori, & hæresim perniciosissimam intrudenti anathema dixit, & sedem interdixit. Sunt eius rei epistolæ 99. & 100 luculenta testimonia.

Extant Simplicij fulmina in Timotheum Ælurum, in Petrum Moggum, in Acatium expressa in Epistolis ad Zenonem Imperatorem, & Acatium. Felix Tertius, Enoticon Zenonis impium & fraudulentum prodidit, & proscripsit. Gelasij Epistola prima ad Euphemianum iusta, & copiosa hæreticorum fixio est, Eutychetis, Dioscori, Timothei, Petri, Acatij, qui cum eorum fautore Epistola 11. proscribuntur. Pelagianam hęresim renascentem multiplicatis literis detestatur. Examen illud Librorum in Concilio Romano susceptum, & confectum vniuersalis quædam hæreticorum damnatio est.

Anastasij 2. Epist. quæ Libellus dicitur ratam habet damnationem Acacij, & aliorum, quos is defendebat, hæreticorum.

Symmachi Epist. 7. fulmen est, nec minus nona ad Orientales, in qua Eutyches, Dioscorus, Timotheus, Petrus, & Acacius exploduntur.

Indiculus Hormisdæ, Ennodio, & socijs datus E-

lenchus est hæreticorum, quorum ibi nomina proscribuntur. Multi ab hoc Pontifice confixi hæretici, ac inter eos Faustus, ut patet ex Epist. 70. ad Possessorem.

Ioannis Primi Epist. 2. Arianam perfidiam toties extirpatam, quæ in quibusdam reuixerat, opprimit, ne deinceps renascatur.

Epist. 1. Ioan. Secundi continet anathema Nestorij, & Eutychetis. In 3. Aquinitos, siue Acœmetas Monachos idem Pontifex condemnat.

Agapeti Epist. 1. ad Iustin. Cyrum, & Sectarios anathematizat. de hoc verò Monachi in Libello oblato Imperatori Iustiniano sic: *Dominus Ecclesiæ suæ donauit illud scutum in expugnabile aduersus hæreticos excitando spiritum Agapeti Romani Pontificis.*

Vigilius in Epist. 1. ad Iustin. profitetur se execrari hæreticos à suis prędecessoribus anathemate percussos. Idem in Constituto vltima parte plurimas hæreses condemnat.

Pelagius 1. in Epist. Encyclica exhibet catalogum Romanorùm Pontificum, qui hæreses, & hæreticos perculerunt, quos ipse etiam percellit. Est verò Epist. 14.

Gregorius Magnus Epistola 72. testatur proprium vnius esse Pontificis Romani hæreticos refrenare, & compescere, ne catholicis noceant. De quo argumento legenda est Epistola ad Dominicum Carthaginiensem, & illa insignis ad Quirinum, & Episcopos Hiberniæ. Huc pertinet Concilium Numidiæ, in quo hæresis Simoniaca detecta, & proscripta, ac in eos, qui essent infecti, pœnæ constitutæ.

Agatho Papa in sua Synodica Epistola Monothelitas condemnauit.

Za-

Zacharias Adalbertum Gallum, & Clementem Scotum congregata Romæ Synodo hæreticos explosit.

Adrianus primus Iconoclastas debellauit.

Nicolaus primus, & posteà Adrianus secundus Schimaticos Constantinopolitanos cum suo Photio deiecit.

Callistus secundus schisma dilacerans Ecclesiam sustulit.

Ab Innocentio secundo Petrus de Bruis, & Arnaldus de Brixia fulmine percussi.

Eugenius 3. in Concilio Rhemensi. Eorum turpem hæreticū.& Gilbertum Porretanum damnauit.

Ab Alexandro Tertio Vualdensium, & Albigensium hæreses grassantes compressæ.

Innocentius Tertius errores quosdam Ioachimi,& Almerici, & renascentia Albigensium dogmata extinxit.

Innocentius Quartus Schisma grauissimum sustulit.

Gregorius Decimus Græcos Schismaticos rectam de processione Spiritus Sancti à Filio sententiam docuit,& ad vnionem Catholicam reduxit.

Clementis Quinti,damnatio Petri discipuli Ioachimi, & Beguardorum, & Beguinarum, & Fratricellorum, & Dulcinistarum iustum opus fuit.

Eugenius Quartus quinque errores Græcorum notos, & celebres condemnauit.

Iulius secundus perniciosum schisma extinxit.

Leo Decimus Lutheranam hæresim fulminauit.

Paulus Tertius. Iulius Tertius. Pius Quartus opera Tridentini Concilij plurimas hæreses iugularunt.

A Pio quinto, & Gregorio Decimotertio Baij er-

rores confixi.

Propositiones Iansenij à veritate fidei alienas primùm perculit Vrbanus Octauus. Easdem deinde Innocentius Decimus; tandem Alexander Septimus euertit.

Adeo manifesta hæc veritas est. Vt ne Aduersarij quidem Catholicorum Hæretici, eam negare ausi fuerint, dùm aliquam Ecclesiæ formam tenuerunt: nec se à capite separarunt, admissa, & recognita Summi Pontificis Romani suprema auctoritate Regulæ visibilis Fidei, & Iudicis controuersiarum. Prouocando, & appellando Pontificem, cùm vel se Catholicos sponte profiteri, vel ab hæreseos sibi impositæ notis liberare conabantur: eoque se præsidio satis sibi esse muniti videbantur.

Exempla fidem dictis faciunt.

MArcion hæresiarcha Aniceto Pontifice Romā venit, vt hæresim suam dissimularet, & Catholicus putaretur.

Felix, Iouinus, Maximus, Priuatus, Repostus damnati à Patribus Africanis, vt se purgarent Romam ad Cornelium Pontificem se contulerunt.

Basilides Libellaticus ad Stephanum Papam prouocauit. Ad eundem rebaptizantes appellarunt.

Ariani sæpe Romani Pontificis opem implorarunt: & apud ipsum aduersarios Catholicos accusarunt; vt eos suspectos redderent. Patet in causa Athanasij, & Marcelli.

Vitalis sectator Appollinaris, vt se purgaret, Damasum Papam conuenit.

Ruffinus, & Melania, Origenis erroribus imbuti

ab

ab Anastasio Papa, ut se defenderent, literas formatas impetrarunt.

Pelagius, & Celestius ad Romanos Pontifices recurrerunt; Pelagius per literas: Celestius etiam coram Zosimo Pontifice Romæ apparuit, ac ea specie Religionis diu Catholicos deluserunt.

Nestorius eadem arte Celestinum Pontificem fallere conatus est.

Eutyches condemnatus Libellum appellationis Leoni Pontifici, quo se purgaret, exhiberi nomine suo iussit.

Euphemianus Constantinopolitanus Episcopus ad Gelasium legationem misit pro sua defensione.

Monachi Scythiæ ad Hormisdam Papam excusaturi venerunt.

Acæmetæ Monachi ad Ioannem secundum eadem de causa Romam se contulerunt.

Seuerus obtentu recursus ad Romanum Pontificem tentauit hæresis notam vitare.

Horum secutus exemplum Petrus Abaylardus tempore S.Bernardi, cùm ab eo argumentis premeretur, vt se liberaret, astutè ad Sedem Apostolicam appellauit.

Imo & superioris seculi Hæretici, dum sani, & sobrii fuerunt, hanc potestatem in Romano Pontifice agnouerunt.

Ex quibus Vuicleff. epist. ad Vrbanum Sextum: *Gaudeo planè detegere cuicunque fidem meam, & specialiter Romano Pontifici, quia suppono, quòd si sit Orthodoxa, ipse fidem meam confirmabit, si erronea emendabit. Romanus Pontifex Summus Christi Vicarius in terris est.*

Lutherus ad Leonem decimum in resol. prior. disp. *Beatissime Pater prostratum me pedibus Beatitudinis tuæ*

offero

offero cum omnibus, quæ sum, & habeo: vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis, & loquentis agnoscam.

Ioannes Pezibranus Hussita in prof. fid. *Profiteor fideli Corde, & ore, quia omni voluntate, & desiderio sum in spe, cupio in re esse, ex integro inuiolabiliter, & irreparabiliter membrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ Vniuersalis, & Romanæ per totum orbem diffusæ in Apostolicis sedibus à Beato Petro Apostolorum Principe fundatæ, & vsque modo continuatæ, & supra firmam Petram tam firmiter roboratæ, quòd portę inferi non possunt aduersus eam quomodolibet præualere.*

SECTIO II.

Quomodo Papa sit Regula Fidei, & Iudex Controuersiarum.



Onstat hic non institui quæstionem de Papa, prout est priuata persona: sed prout agit Vicarium Christi, & Petri successorem, cùm in Cathedra Petri sedet, ac ex ea loquitur, & definit. Hoc in statu sumi potest duobus modis: primò solus per se: secundò coniunctus cum Concilio. Sunt qui dicunt Papam sine Concilio non esse infallibilem iudicem controuersiarum, sed omnino adiungendum ei esse Concilium. Cuiusmodi sunt Nilus lib. aduers. primatum Papæ. Gerson. & Almain. in lib. de potest. Eccles. & Alphons. Castro lib. 1. cap. 2. contr. hæres. & Adrianus VI. in quęst de

Con-

Confirmat & plures Parisienses. De quibus Bellarm. lib. 4. de Rom. Pont. c. 2. & Becanus in Controu. & opusc. Ego in meis Schol. positiu. Schola 6. Oportet de hoc diligenter inquirere. Et quidem exempla, quæ affert Becanus, vt monstret Papam esse iudicem controuersiarum, omnia sunt coniuncta cum Conciliis, idcirco proxima sect. attulimus alia, quæ sunt solitaria, & propria Romanorum Pontificum. Illi ergo qui dicunt Concilium esse supra Papam, quos non sequimur, imò taxamus: consequenter dicere debent Iudicem controuersiarum esse Papam cum Concilio. Nos tamen, qui contrarium sentimus, affirmamus Papam sine Concilio, & solitariè sumptum esse iudicem controuersiarum, atque omnino per se cum definit ex Cathedra esse infallibilem.

Primò quia hæc infallibilitas est donata, & annexa à Christo Domino Petro, & successoribus Petri illis verbis Matth. 16. *Tibi dabo Claues Regni Cælorum:* & illis Luc. 22. *Oraui pro te vt non deficiat fides tua, & aliquando conuersus confirma fratres tuos:* & illo Ioan. 21. *Pasce oues meas*, vti latè probauimus in Tessera Pontificia, & lib. 1. de Clauibus, & expendit Leo IX. in Epistola ad Michaelem, & Gregorius VII. in decretis in Synodo Romana. In his enim locis Christus cum Petro, & successoribus loquebatur, qui communis sensus est Patrum, & Interpretum, & Doctorum, quos citauimus in Tessera nostra Pontificia. Et per se liquet: prouidebat quippe Christus toti Ecclesiæ, quam in Petro fundabat, & erudiebat. Inanis vero, imo nulla esset illa prouidentia, si vel in Petro solo consisteret, nec vltra tenderetur, vel illi qui vice illius futuri erant, errare in Fide possent. Admisso enim falli Pontificem, qui verum erit, *Non defecturam*

Fidem?

Fidem? non deficiet Fides tua? Singulari illi homini Petri successori addicta. Nisi sit Pontifex certus & constans in Fide, arena erit, non Petra. *Tu es Petrus.* Si erret, & deuiet à Fide, quomodo *Pascet oues? Pasce oues meas* Palabunt hæ: discerpentur: non pascentur. Illo labente in doctrina non poterunt stare Fratres; quomodo enim eos confirmabit titubans, & labans? Non erit ergo locus dicto *Confirma Fratres tuos.* Nec opinor, tunc cum ista ad vnum Petrum dicebat Christus, de Papa cum Concilio esse locutum. Cur ergo parui illi, & minutis præ Patribus Theologi, ad Concilium verba conuertunt? Certè non ita locos istos intelligunt, præsertim illum Lucæ, qui rem hanc infallibilitatis Papalis continet, *Rogaui pro te Petre, vt deficiet Fides tua* Lucius I. Epist. I. ad Episcopos Hispan. & Gall. & Felix I. Epist. ad Benign. & Leo I. Serm. de Assumpt. Gelas. Epist. ad Anastas. Imper. Greg. lib. 4 Epist. 32. ad Maurit. & Agatho Papa Epist. ad Constantin. & Nicolaus I. Epist. ad Michael. & Leo IX. Epist. ad Petrum Antiochen. & Innocent. III. ad Episcop. Arelatens. Nec soli hoc Romani Pontifices asserunt, Sed alij quoque tum Latini, tum Græci. Hieronym. Epist. ad Damas. de nomine Hypost. August. Psal. contr. part. Donati. Petrus Chrysolog. Epist. ad Eutychet. quæ est ante Concil. Chalced. & Bernard. Epist. 190. & 191. ad Innocent. & Theophyl. in cap. 21. Lucæ. Cuius hæc sunt verba. *Quia te habeo Principem discipulorum, confirma cæteros. Hoc enim decet te, qui post me Ecclesiæ petra es, & fundamentum.* Vbi coniunxit vtrumq; locum: Petræ constantis, & Fidei indeficientis.

Secundò, quia Concilia etiam vniuersalia præciso capite, id est Papa, possunt errare, & errarunt, vti

multis

multis in materia de Concilis probauimus. Nunc satis est exemplum Concilij Ariminensis,& secundæ Synodi Ephesinæ, quæ prorsus errarunt. At nullus Pontifex Romanus definiendo ex Cathedra vnquã errauit, quemadmodum sæpè diximus, & in speciali Controuersia dicemus. Hinc asserimus sententiam Leonis IX. Epist.ad Petrum. *Hactenus fides Petri non deficit, nec deficiet, nec defectura creditur in throno illius vsque in sæculum sęculi.* Et D.Bern.in Ep.191.ad Innoc. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quædam, & scandala regni Dei, ea præsertim, quę de Fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi posse nos resarcire damna Fidei vbi non possit Fides sentire defectum. Hæc huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri dictum est aliquando: Ego pro te rogaui, vt non deficiat Fides tua?*

Tertiò, quia Romanus Pontifex semper direxit Concilia ad decidendas controuersias, quarum causa congregabantur. Apparet assumptum ijs quæ diximus in quæstionibus super Concilia adductis exemplis, incipiendo à primo Concilio post Apostolos in Ecclesia celebrato, quod fuit Romanum Victore Papa. Insignis est ille locus Cyrilli in thesauro citatus à Gennadio Scholario lib. de defens.Concil.Florent cap.5. sect.12. *Oportet nos tanquam membra caput sequi, idest Romanum Pontificem, & Apostolicam Sedem à qua debemus petere, quid credere, & sentire debemus, ac tenere, quia ipsius tantum est confirmare, dirigere, vel arguere, confirmare, soluere, & ligare.* Imò est tam proprium Papæ, & Romanæ Sedis omnia suo iudicio definire, vt res mirabilis acciderit tempore S.Bernardi. Nam cùm Eugenius III. Rhemis haberet Concilium,& in eo Gilberti Porretani Episcopi Pictauiensis errores examinarentur, D. Bernardus, qui con-

fessione omnium primas partes agebat cum Archiepiscopis Gallis, & alijs Viris Religiosis, & doctis quandam Catholicæ confessionis formulam edidit, vt ea producta veritas constaret, & errores Gilberti refellerentur; quod cum Cardinalis rescissent indignati sunt, quòd sine Papæ & Collegij imperio, & consensu ea confessio suscepta & edita esset: & Papa Eugenius vocato ad se Bernardo eum quanquam virum sanctissimum seriò ea de re monuit; nec destiterunt Romanæ Ecclesiæ Cardinales ab indignatione, & proposito, donec Bernardus summa demissione animi se purgauit, & confessionem suam eorum iudicio subiecit. Hæc narratio habetur in eo Concilio Rhemensi verbis Othonis Frisingensis Tomo 3. Concil. p. 2. in Collect. Binij.

Quartò probatur, ex approbatione Conciliorum, sine qua nullum Concilium etiam Vniuersale infallibilem auctoritatem habet; cui accedit ipsa Conciliorum congregatio, quæ item propria est Romani Pontificis. Hoc patet ex testimonio Damasi Papæ cap. 3. qui citatur à Gregorio VII in decretis in Synodo Romana c. 3. tom. 3. parte 2. vbi sic Damasus: *Nulla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sint fulta Apostolica auctoritate*. Confirmat sententia Isidori ab eodem Gregorio ibi relati his verbis. *Synodorum congregandarum auctoritas Apostolicæ Sedis priuatæ commissa est potestati, nec vlla esse rata legimus, quæ eius non fuerint auctoritate congregata, & fulta. Hæc canonica testatur auctoritas: hæc Ecclesiastica historia corroborat: hæc Sancti Patres confirmant*. Certè Tridentinum Concilium, in quo erant Patres, & Theologi totius Europæ, cum Cardinalibus, & omnium Christianorum Regum coniuncti confirmationem decretorum, & Canonum

num à se toto antea tempore conditorum à Romano Pontifice Pio IV. petijt, & impetrauit. Extat Bulla Confirmationis inter Acta Concilij. Græci Catholici hoc item fatentur, vt videre est in Gennadio Scholario cap. 5 p. 11. & 12. & ibid.

Quintò, suadetur exemplis omnium antiquorum Conciliorum, quæ omnia antequam quicquam decernerent, vel præsentiam, vel iudicium per litteras à Romano Pontifice expectabant, ne sine illo sole in tenebris remanerent. Idque numerando constat. Excepto enim Niceno, quòd in eo Hosius Syluestri nomine dictabat oracula: ad Concilium Constantinopolitanum I. Damasus litteras doctrinales misit. Eiusmodi Cælestinus ad Concilium Ephesinum direxit. Suis item Leo Chalcedonense erudiuit. Quinta Synodus sæpe Vigilij præsentiã requisiuit, nec valuit, nisi ab eo confirmata. In sexta Synodo actione 4. duæ Agathonis Epistolæ leguntur, & recipiũtur. In septima Synodo act. 2. duæ item Adriani I. Epistolæ producuntur, & pro oraculis habentur. Ex his decima Leonis Epistola in Chalcedonensi Concilio lecta: illud Patrum acroama extitit. *Hæc est Fides Patrum. Petrus per Leonem locutus est.* Ponitur sess. 2. Id seriò est obseruandum in eodem Concilio act. 1. reprehendi, & improbari Dioscorum cum sua secunda Pseudosynodo Ephesina, quod non legerit Epistolas Leonis Papæ. Hoc est sanè inuictum argumentum aduersus eos, qui Concilium Papę anteponunt: qui tamen volunt videri eruditi. Ad quos ego conuersus illa verba S. Petri Rauennatis ad Eutychetem obiicio: Monet illum vt diligenter attendat, & obedienter his, quæ à Romano scribuntur Beatissimo Papa. *Quoniam,* inquit, *Beatus Petrus, qui in propria Sede viuit,*

& præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem. Non fallitur Petrus: Ergo nec Papa decipitur. Pudeat ipsos opinationis suæ. Audiant Græcum Auctorem Theodorum Studiten ad Michaelem Imperatorem. *Si de aliquo dubitare, vel non credere videtur vestra diuina magnificentia, eius rei explicatio à Pontifice piè est postulanda: iubeat à vetere Roma capere declarationem, vt à principio à Patribus nostris est traditum. Ea inter omnes Ecclesias Dei summum, & supremum obtinet locum, cuius Petrus tenet primam Sedem.* Ad hanc remittit Imperatorem, nec adiungit Concilia.

Absoluamus hoc caput verbis Gregorij VII. in Synodo Romana cap. 3. ubi probat non minori, imò propè maiori reuerentia, & obseruantia digna esse decreta Romanorum Pontificum, quàm illa quatuor prima, & Oecumenica Concilia, quæ Sanctus Gregorius veluti quatuor Euangelia colebat. *Decreta,* inquit, *Sanctiss. Romanorum Pontificum, si possemus etiam studiosiùs venerari, & obseruare deberemus, cùm & ipsa Concilia omni firmitate carerent, si non Apostolicæ Sedis Pontifices eadem per Apostolicam auctoritatem congregare, & corroborare decreuissent;* & concludit: *Sic enim Legati Sedis Apostolicæ eorumdem principalium Conciliorum sanctiones prima subscriptione Apostolica vice canonizabant. Nempe sub pyssimo Imperatore Constantiano, Magnus Osius Cordubensis Episcopus, Victor, & Vincentius Presbyteri Romanæ Ecclesiæ ex parte S. Syluestri Papa Niceno Concilio præfuerunt, & ipsum principali subscriptione firmauerunt. Item temporibus Theodosij Iunioris Augusti Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus & Arcadius Episcopus ex Italia vice Beatissimi Papæ Cælestini Ephesino Concilio præfuerunt, & ipsum Apostolica vice corroborauerunt. Item tempore Marciani Principis Paschasinus*

chasinus, & Lucentius Episcopi, & Bonifacius Presbyter vice Sancti Leonis Papæ in Chalcedonensi Concilio per duodecim dies celebrato primi fuerunt, qui & Anatolio Patriarcha Cōstantinopolitano quoddam priuilegium in Concilio vsurpanti liberaliter contradixerunt, & reliquis statutis Apostolica vice subscripserunt, vt liber Liberati Carthaginensis Archidiaconi de eodem Cōcilio statuit. Ergo reuerentiam, siue obedientiam, quam sacratissimis quatuor Concilijs, iuxta Sancti Gregorij meritum exhibemus decretis Apostolicæ Sedis nullatenus denegare. imo si possibile est studiosiùs impendere debemus, cùm sine eorum auctoritate, nec ipsa Concilia fas esset recipere.

Item cap. 28 *Sed nec illa prætgrimus, quòd Apostolica Sedes sine vlla Synodo præcedente exsoluendi, quos Synodus iniqua damnauerat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit habuerit facultatem: & hoc nimirum pro suo principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini vice, & tenuit, & semper retinebit. His autem S.S. P.P. Callistus, Fabianus, Sixtus, Syluester, Iulius, & reliqui innumerabiles adstipulantur. qui adeo amplexi sunt veritatem, vt potius mori, quàm mentiri desiderarent.* Ex his patet Romanum Pontificem esse iudicem Controuersiarum, & Regulam visibilem Fidei.



SE-

SECTIO III.

De modis decidendi controuersias, & tradendi regulas Fidei hæreſeſque abolendi, & ſpecialiter Sacræ Congregationes Sancti Officij expenditur.



Vm igitur conſtet Papam eſſe regulam infallibilem, & Iudicem in Controuerſijs Fidei, dubitandum non eſt, quin pro ſuo arbitrio prout eſt Papa, poſſit quo velit modo ex Cathedra definire, ſiuè cum Concilio, ſiuè ſine Concilio; nunquam enim ob peculiarem Dei prouidentiam, aut fallet, aut falletur, cùm eius Fides non poſſit deficere. Ac primum Papa in Concilijs generalibus definiuit res Fidei: qui modus perſpectus eſt, & exploratus, & ſemper viguit in Eccleſia à primo Concilio Niceno, vſque ad vltimum Tridentinum. Equidem obſeruo nullum fuiſſe Concilium vniuerſale, in quo aliqua hæreſis, ſiue ſchiſma hæreticum iugulatum non fuerit. Etenim in Niceno, ſub Syluestro damnata fuit hæreſis Arij, contra conſubſtantialitatem & æqualitatem Filij cum

Patre

Patre. In Constantinopolitano primo Macedonij, contra diuinitatem Spiritus Sancti, sub Damaso. In Ephesino Nestorij de duabus in Christo personis, sub Celestino primo. In Chalcedonensi Euthychetis; negantis duas naturas in Christo, sub Leone primo; quod etiam obseruat S. Bernardus epist. 195 ad Innocent. 2. Papam. In quinta Synodo tria Capitula, & Origenis dogmata condemnata sunt, à Vigilio. In Sexta Synodo confixi sunt Monothelitæ, sub Agathone primo. In septima Synodo Iconomachi proscripti ab Adriano primo. In octauo Schisma Photii aduersus Ignatium Constantinopolitanum sublatū ab Adriano secundo. In Lateranensi primo schismati Inuestiturarum interdictum, sub Callisto secundo. In secundo Lateranensi, Petrus de Bruis, & Arnaldus de Brixia condemnati, sub Innocentio secundo. In tertio Vvaldensium, & Albigensium errores damnati, sub Alexandro tertio. In quarto Ioachimi dogma reprobatum, & Almericus hæreticus explosus, sub Innocentio tertio. In Lugdunensi schisma Friderici secundi compressum, sub Innocentio quarto. In Lugdunensi secundo schismati Græcorum obuiam itum, traditaque Doctrina Catholica de processione Spiritus Sancti à Filio sub Gregorio decimo. In Viennensi correctus Petrus Ioachimi discipulus: compressi Beguardi, Beguinæ, Fraticelli, & Dulcinnistę sub Clemente quinto. In Florentino quinque errores Græcorum confutati, sub Eugenio quarto. In quinto Lateranensi Pragmatica sanctio abolita, diuersa schismata sublata, immortalitas Animæ constituta, Lutherus ad calcem damnatus, sub Iulio secundo, & Leone decimo. In Tridentino hæreses antiquæ á Nouatoribus suscitatæ, nouæ in-

ductæ

ductæ euersæ. Adeò verum est Pontifices in Concilijs vniuersalibus omnes hæreses condemnasse. Et quamquam Conciliorum opus illud fuisse videatur, cum à Pontificibus fuerint Congregata, & approbata, sine quorum consensu auctoritate carerent, ad Pontifices redit virtus definitionis. Constat enim vniuersalia Concilia indigere Pontificis approbatione, vt eorum doctrina sit infallibilis. Id cùm ex aliis Conciliis pateat, tum ex Concilio Tridentino manifestum est, cuius Patres omnia in eo decreta Papæ subiiciunt, vti habetur in fine Concilij. Alius modus definiendi extra Cathedrã inuenitur in Cōciliis particularibus, siuè Nationalibus, siuè Prouincialibus dummodo sint, vel congregata de mandato Pontificis cum peculiari institutione, quale fuit Concilium Arausicanum secundum in sententia eorum, qui dicunt factum tempore Leonis Magni, cuiusmodi sunt, Baronius 5. Tom. Annal. An. 453. licet posteà mutarit sententiam. Bellarminus lib 2. de Conc. cap. 10. Vasquez Tom. 1. In 1. p disp 91. cap. 12. Suarez, prol. 6. cap. 1. quibus olim ego assentiebar, & primum Concilium Toletanum sub eodem Leone primo, & Complutense sub Sixto quarto: siuè approbatum, qualia sunt multa, quæ afferuntur, & inseruntur in Decreto Canonum dist. 16. cap. 1. quæ ibi viginti quatuor numerantur. De his enim a fortiori affirmari debet, auctoritatem accipere à summo Pontifice, & sine illa non facere publicam fidem, vti habetur in eadem distinct. 17. c. 1. 2. 4 & 6. Interdum Concilium Diœcesanum redditur infallibile per auctoritatem Papæ, idque significatur c. *Ad abolendam*. De Hæreticis. Tit. 7. in Decretalibus. Itaque omnis infabilitas Conciliorum, siuè vniuersalium, siuè particula-

rium

tum à Papa tanquam à fonte proficiscitur; quare Diuus Augustinus, cùm loqueretur de condemnatione hæreseos Pelagianæ facta in Conciliis Africanis, attribuit condemnationem Romanis Pontificibus Innocentio, & Zosimo, quorum tempore congregata fuerant. Ita Epist. 157. *Cuius*, inquit, *hæresis vel auctores, vel certè acerrimi, notissimique suasores cùm Pelagius, & Celestius extitissent, Conciliorum Episcopalium vigilantia in adiutorio Saluatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicæ Sedis Papa Innocentio, & Papa Zosimo nisi correcti etiam egerint penitentiam, toto Christiano Orbe damnati sunt*. Vbi diligenter obseruandum vigilantiam tribui Conciliis: sententiam Pontificibus, eamque talem, quæ per totum Orbem se diffunderet, ceu non possent eò Concilia peruenire. *Toto*, inquit, *Orbe damnati sunt*, per quem erat Ecclesia diffusa, cuius Romanus Pontifex caput erat. Hoc iterum idem Augustinus testatur libro secundo retract. c. 50 his verbis: *Postea quam Pelagiana hæresis, cum suis Auctoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanę, prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis, conuicta, atque damnata est*. Rursum *opera*, Conciliis; *sententia*, Pontificibus assignatnr.

Hi duo definiendi modi olim in Ecclesia fuerunt, & hodiè si Pontifici placuerit, adhiberi possunt. Sed quoniam extremis hisce temporibus corruptela morum errores plurimos induxit; necessarium duxit Pontifex alium modum inuestigare faciliorem, quo hæreses, & mores corrigerentur; nam congregare Concilia vniuersalia, opus est arduum, & difficile; Concilia verò particularia, & si minori difficultate cogi possunt, non est tamen promptum, & expedi-

tum negotium ; tum propter itinerum difficultatem : tum propter contentiones de ordine sedendi : propter longinquitatem Romanæ Sedis à qua peti debet confirmatio: tum præcipuè, quia in Prouinciis remotissimis Indiarum rari sunt Episcopi, quorum singuli vastissimas habent Diœceses: quare è re Christiana visum priuata Tribunalia Sanctæ Inquisitionis in ijs partibus instituere, & vnum generale, ac supremum in Romana Vrbe erigere : ea ratione, vt causæ priuatæ, & ordinariæ in ijs Prouinciis agitarentur, & deciderentur ; aliæ vero grauiores, & difficiliores, & quæ ad Rempublicam Ecclesiasticam pertinerent, Romam ad hoc generale remitterentur. Congruum item erat, æquumque, vt ad illud Tribunal Sacrosanctum, quod erat cum Romano Pontifice proximè coniunctum, & arctissimè colligatum appellari, & prouocari à minoribus Tribunalibus iure posset. Licere autem Summo Pontifici nouos modos excogitare decidendi controuersias fidei, eosque in actum reducere manifestum est, quia nullo præcepto diuino, Conciliove iurisdictio Pontificia restringitur, vel coarctatur ad certum aliquem procedendi modum, & Pontifex plenam, & integram habet potestatem regendi, & pascendi oues suas. Itaque licitum est ei modos vtiles ad pasturam quiuis adhibere. Apparet autem in loco illo Matth. 16. Vbi Christus Claues suas, cum ampla potestate, tradidit Petro *Tibi dabo Claues Regni Cælorum*, addito termino *Quodcunque* minime definito; Et Ioann. 21. *Pasce oues meas*, integro pascendi arbitrio Pastori relicto. Rem firmat ille alter locus Matth. 18. *Vbi sunt*, inquit, *duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Non præscripsit Christus vllum modum, formamue con-

conueniendi in nomine suo. Liberum id reliquit Pontifici, qui à Spiritu Sancto didicit, quid è re futurum sit: *Ille vos docebit omnia*. Huius veritatis paradigma est ille *Gladius Filijs hominis* c.1. Apoc. non vna tantùm parte acutus, sed *vtraque*, vt in vtranque vellet flecti posset, cui respondet ille alter *Gladius Cherubini* custodientis Paradisum, qui dicitur *versatilis*, Gen. 3. vt pro varietate moueri, & rotari posset. Nec ista excogitatio noui modi, mutatio appellari debet, cùm Pontifex non sustulerit alios modos definiendi per Concilia vniuersalia, & particularia, sed addiderit alium modum congruentem, & expeditum per sanctam Inquisitionem. Decuit verò vt in Ecclesia Christi multiplex modus esset inquirendi, & definiendi veritatem. Nam cùm in Synagoga, quæ multò erat imperfectior sex modi fuerint consultandi Dominum, & veritatem inueniendi, qui extant in sacris literis, & ab Interpretibus referuntur, nimirùm per Prophetas: per Rationale: per vocem de Propitiatorio: per Ephod: per Somnia: per Sortes, vti notat Abulensis in Defensorio c. 40. 41. 42. oportebat, vt in Ecclesia Christi, quæ multò est perfectior Synagoga, plures etiam modi inuenirentur inuestigandæ, & definiendæ veritatis. Et verò vltra hos modos alius modus inuentus est à Rege Iosaphat, qui refertur lib. 2. Paralip cap. 17. scilicet per Viros Inquisitores, vt notat idem Abulensis in eum locum. q. 14. & 16. his verbis. *Ad confirmandum in Fide erant isti Sacerdotes, & Leuitæ, & Principes: Sic enim apud nos Inquisitores hæreticæ prauitatis*. Hoc exemplo roboratur modus instituendi hoc Tribunal Principum Sacerdotum, & Leuitarum Sacræ Inquisitionis Romanæ. Ecclesia quippe est Aurora consurgens, quæ

quotidiè proficit, crescit, & amplificatur. Non est sterilis, sed fœcunda, quæ variis debet abundare modis. Et quamuis sit *electa vt Sol*, dicitur tamen *pulcra vt Luna*, quæ subit mutationes, ac in his splendet. Varietas autem auget venustatem; vnde illa sponsa Regina Psal. 44. induitur aurea veste, circundata varietate. Vestem Iosephi, cui dicitur *Filius accrescens Ioseph, Filius accrescens* Gen 49. tradit eadem scriptura fuisse Polymitam, id est, variegatam coloribus Gen 37. Odor Sponsæ Christi Cant. 3 spirabat *ex vniuerso puluere pigmentario*, & rursum Gen. 27 *Odor Filij mei sicut Odor agri pleni*. Fœcunda Ecclesia Mater est, prodit in partus, & abundat fœtibus. Leges Deus ipse pro varietate temporum, & morum tulit, tum naturæ, tum Moysis, tum gratiæ congrua diuersitate pro temporibus, & conditionibus mortalium. Ille Currus Ezechielis. 1. totus mobilis à quatuor animalibus quadrifrontibus, rotarum multitudine actus ferebatur. Rationale Exodi 28. *duodecim gemmis pro numero filiorum Israel* distinctus describitur. In medio Iordanis Alueo *duodecim lapides* vitream per eum factam viam significabant Ios. 4. Seraphini alati in templo ante Deum Isa. 6. non duas solum, sed sex alas pandebant. Duodecim erant fundamenta Ciuitatis Hierusalem, totidem portæ vias duodecim ad ingressum aperiebant Apoc. 21 Illa mirabilis Mulier, *Sole amicta* Luna calceata *duodecim Stellis* coronata, radiabat Apoc. 10. Christus Dominus Veritas, & Vita seipsum *Diei*, Apostolos *horis duodecim* comparauit. In rem propiùs vox Christi Apoc. 1. & 14. cùm esset vna, dicitur *Vox aquarum multarum*, propter fœcunditatem. Spiritus Sanctus Act. 1 *per plures linguas, igneas* cælestem doctrinam infudit Apostolis. Vno

quidem

quidem digito,& ipse *digitus Dei* corda mouet, sed pluribus linguis mentes erudit. Quin ipsemet cùm sit vnus, & vnum donum, diuiditur tamen in Septem dona, vt ditet Ecclesiam. Spectat ad Thesaurum diuinę Sapientiæ multifariàm suos docere fideles, & nouas excogitare rationes tradendæ doctrinæ. Quare non est mirum Romanum Pontificem Ecclesiæ caput, & Patrem, nouum istum modum, definiendi, aut decidendi controuersias Fidei excogitasse, qui certè, & vtilis est, & necessarius. Vtilis, quia sine dispendio itinerum compendium facit, & moras præcidendo celeriter expedit causas, & præsens distātiam, & longinquitatem excludit: Necessarius quia veritates fidei è Cathedra pronunciat afflante Spiritus Sancti aura conceptas, & versas in sacra Oracula; ac hæresibus, ita se opponit, vt nec permittat serpere, nec grassari. Audent hæretici dissiti ab Vrbe, & à Pontifice errores suos spargere: non audent tamen Romæ coram Pontifice cristas attollere, seque obijcere Apostolicæ dignitati, vel potestati. Romæ nec oriuntur hæreses, nec adolescunt Summa Beatissimi Patris dextera collidit. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad Petram* Psal. 136. Alibi nascuntur, crescunt, corroborantur, distantia, & mora inualescunt, Romæ vbi Petra est præsens, tum re, tum virtute adolescere nequeunt, & vix oriuntur, cum ad Petram alliduntur, & confringuntur. Alibi corpus hæreseos vulneratur, & exorto iam capite, & exerto difficiliùs percellitur. Romæ non permittitur Caput exeri; nempe de Romana Ecclesia dictum Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum*, nec sinitur Draco caudam euoluere, qua se regat, nec spiris inuolui, vt se tutetur, sed vno ictu fidei, Clauibus in Clauas conuersis,

fessione omnium primas partes agebat cum Archiepiscopis Gallis, & alijs Viris Religiosis, & doctis quandam Catholicæ confessionis formulam edidit, vt ea producta veritas constaret, & errores Gilberti refellerentur; quod cum Cardinalis rescissent indignitati sunt, quòd sine Papæ & Collegij imperio, & consensu ea confessio suscepta & edita esset: & Papa Eugenius vocato ad se Bernardo eum quanquam virum sanctissimum seriò ea de re monuit; nec destiterunt Romanæ Ecclesiæ Cardinales ab indignatione, & proposito, donec Bernardus summa demissione animi se purgauit, & confessionem suam eorum iudicio subiecit. Hæc narratio habetur in eo Concilio Rhemensi verbis Othonis Frisingensis Tomo 3. Concil. p. 2. in Collect. Binij.

Quartò probatur, ex approbatione Conciliorum, sine qua nullum Concilium etiam Vniuersale infallibilem auctoritatem habet; cui accedit ipsa Conciliorum congregatio, quæ item propria est Romani Pontificis. Hoc patet ex testimonio Damasi Papæ cap. 3. qui citatur à Gregorio VII in decretis in Synodo Romana c. 3. tom. 3. parte 2. vbi sic Damasus: *Nulla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sint fulta Apostolica auctoritate*. Confirmat sententia Isidori ab eodem Gregorio ibi relati his verbis. *Synodorum congregandarum auctoritas Apostolicæ Sedis priuatæ commissa est potestati, nec vlla esse rata legimus, quæ eius non fuerint auctoritate congregata, & fulta. Hæc canonica testatur auctoritas: hæc Ecclesiastica historia corroborat: hæc Sancti Patres confirmant*. Certè Tridentinum Concilium, in quo erant Patres, & Theologi totius Europæ, cum Cardinalibus, & omnium Christianorum Regum coniuncti confirmationem decretorum, & Canonum

num à ſe toto antea tempore conditorum à Romano Pontifice Pio IV. petijt, & impetrauit. Extat Bulla Confirmationis inter Acta Concilij. Græci Catholici hoc item fatentur, vt videre eſt in Gennadio Scholario cap.5 p.11.& 12.& ibid.

Quintò, ſuadetur exemplis omnium antiquorum Conciliorum, quæ omnia antequam quicquam decernerent, vel præſentiam, vel iudicium per litteras à Romano Pontifice expectabant, ne ſine illo Sole in tenebris remanerent. Idque numerando conſtat. Excepto enim Niceno, quòd in eo Hoſius Sylueſtri nomine dictabat oracula: ad Concilium Conſtantinopolitanum I. Damaſus litteras doctrinales miſit. Eiuſmodi Cæleſtinus ad Concilium Epheſinum direxit. Suis item Leo Chalcedonenſe erudiuit. Quinta Synodus ſæpe Vigilij præſentiã requiſiuit, nec valuit, niſi ab eo confirmata. In ſexta Synodo actione 4. duæ Agathonis Epiſtolæ leguntur, & recipiũtur. In ſeptima Synodo act. 2. duæ item Adriani I. Epiſtolæ producuntur, & pro oraculis habentur. Ex his decima Leonis Epiſtola in Chalcedonenſi Concilio lecta: illud Patrum acroama extitit. *Hæc eſt Fides Patrum. Petrus per Leonem locutus eſt.* Ponitur ſeſſ. 2. Id seriò eſt obſeruandum in eodem Concilio act. 1. reprehendi, & improbari Dioſcorum cum ſua ſecunda Pſeudoſynodo Epheſina, quod non legerit Epiſtolas Leonis Papæ. Hoc eſt ſanè inuictum argumentum aduerſus eos, qui Concilium Papę anteponunt: qui tamen volunt videri eruditi. Ad quos ego conuerſus illa verba S. Petri Rauennatis ad Eurychetem obiicio: Monet illum vt diligenter attendat, & obedienter his, quæ à Romano ſcribuntur Beatiſſimo Papa. *Quoniam,* inquit, *Beatus Petrus, qui in propria Sede viuit,*

& præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem. Non fallitur Petrus: Ergo nec Papa decipitur. Pudeat ipsos opinationis suæ. Audiant Græcum Auctorem Theodorum Studiten ad Michaelem Imperatorem. *Si de aliquo dubitare, vel non credere videtur vestra diuina magnificentia, eius rei explicatio à Pontifice piè est postulanda: iubeat à vetere Roma capere declarationem, vt à principio à Patribus nostris est traditum. Ea inter omnes Ecclesias Dei summum, & supremum obtinet locum, cuius Petrus tenet primam Sedem.* Ad hanc remittit Imperatorem, nec adiungit Concilia.

Absoluamus hoc caput verbis Gregorij VII. in Synodo Romana cap 3. ubi probat non minori, imò propè maiori reuerentia, & obseruantia digna esse decreta Romanorum Pontificum, quàm illa quatuor prima, & Oecumenica Concilia, quæ Sanctus Gregorius veluti quatuor Euangelia colebat. *Decreta*, inquit, *Sanctiss. Romanorum Pontificum, si possemus etiam studiosiùs venerari, & obseruare deberemus, cùm & ipsa Concilia omni firmitate carerent, si non Apostolicæ Sedis Pontifices eadem per Apostolicam auctoritatem congregare, & corroborare decreuissent*; & concludit: *Sic enim Legati Sedis Apostolicæ eorumdem principalium Conciliorum sanctiones prima subscriptione Apostolica vice canonizabant. Nempe sub pijssimo Imperatore Constantino, Magnus Osius Cordubensis Episcopus, Victor, & Vincentius Presbyteri Romanæ Ecclesiæ ex parte S. Syluestri Papæ Niceno Concilio præfuerunt, & ipsum principali subscriptione firmauerunt. Item temporibus* Theodosij *Iunioris Augusti Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, & Arcadius Episcopus ex Italia vice Beatissimi Papæ Cælestini Ephesino Concilio præfuerunt, & ipsum Apostolica vice corroborauerunt. Item tempore Marciani Principis Paschasinus*

chasinus, & Lucentius Episcopi, & Bonifacius Presbyter vice Sancti Leonis Papæ in Chalcedonensi Concilio per duodecim dies celebrato primi fuerunt, qui & Anatolio Patriarcha Cōstantinopolitano quoddam priuilegium in Concilio vsurpanti liberaliter contradixerunt, & reliquis statutis Apostolica vice subscripserunt, vt liber Liberati Carthaginensis Archidiaconi de eodem Cōcilio statuit. Ergo reuerentiam, siue obedientiam, quam sacratissimis quatuor Concilijs, iuxta Sancti Gregorij meritum exhibemus decretis Apostolicæ Sedis nullatenus denegare. imo si possibile est studiosiùs impendere debemus, cùm sine eorum auctoritate, nec ipsa Concilia fas esset recipere.

Item cap. 28 *Sed nec illa prætgrimus, quòd Apostolica Sedes sine vlla Synodo præcedente exsoluendi, quos Synodus iniqua damnauerat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit habuerit facultatem: & hoc nimirum pro suo principatu quem B. Petrus Apostolus Domini vice, & tenuit, & semper retinebit. His autem S.S. P.P. Callistus, Fabianus, Sixtus, Syluester, Iulius, & reliqui innumerabiles adstipulantur. qui adeo amplexi sunt veritatem, vt potius mori, quàm mentiri desiderarent.* Ex his patet Romanum Pontificem esse iudicem Controuersiarum, & Regulam visibilem Fidei.



SE

SECTIO III.

De modis decidendi controuersias, & tradendi regulas Fidei hæreſeſque abolendi, & ſpecialiter Sacræ Congregationes Sancti Officij expenditur.



Vm igitur conſtet Papam eſſe regulam infallibilem, & Iudicem in Controuerſijs Fidei, dubitandum non eſt, quin pro ſuo arbitrio prout eſt Papa, poſſit quo velit modo ex Cathedra definire, ſiuè cum Concilio, ſiuè ſine Concilio; nunquam enim ob peculiarem Dei prouidentiam, aut fallet, aut falletur, cúm eius Fides non poſſit deficere. Ac primum Papa in Concilijs generalibus definiuit res Fidei: qui modus perſpectus eſt, & exploratus, & ſemper viguit in Eccleſia à primo Concilio Niceno, vſque ad vltimum Tridentinum. Equidem obſeruo nullum fuiſſe Concilium vniuerſale, in quo aliqua hæreſis, ſiue ſchiſma hæreticum iugulatum non fuerit. Etenim in Niceno, ſub Syluestro damnata fuit hæreſis Arij, contra conſubſtantialitatem & æqualitatem Filij cum Patre

Patre. In Constantinopolitano primo Macedonij; contra diuinitatem Spiritus Sancti, sub Damaso. In Ephesino Nestorij de duabus in Christo personis, sub Celestino primo. In Chalcedonensi Euthychetis; negantis duas naturas in Christo, sub Leone primo; quod etiam obseruat S. Bernardus epist. 195 ad Innocent. 2. Papam. In quinta Synodo tria Capitula, & Origenis dogmata condemnata sunt, à Vigilio. In Sexta Synodo confixi sunt Monothelitæ, sub Agathone primo. In septima Synodo Iconomachi proscripti ab Adriano primo. In octauo Schisma Photii aduersus Ignatium Constantinopolitanum sublatū ab Adriano secundo. In Lateranensi primo schismati Inuestiturarum interdictum, sub Callisto secundo. In secundo Lateranensi, Petrus de Bruis, & Arnaldus de Brixia condemnati, sub Innocentio secundo. In tertio Vualdensium, & Albigensium errores damnati, sub Alexandro tertio. In quarto Ioachimi dogma reprobatum, & Almericus hæreticus explosus, sub Innocentio tertio. In Lugdunensi schisma Friderici secundi compressum, sub Innocentio quarto. In Lugdunensi secundo schismati Græcorum obuiam itum, traditaque Doctrina Catholica de processione Spiritus Sancti à Filio sub Gregorio decimo. In Viennensi correctus Petrus Ioachimi discipulus: compressi Beguardi, Beguinæ, Fraticelli, & Dulcinnistę sub Clemente quinto. In Florentino quinque errores Græcorum confutati, sub Eugenio quarto. In quinto Lateranensi Pragmatica sanctio abolita, diuersa schismata sublata, immortalitas Animæ constituta, Lutherus ad calcem damnatus, sub Iulio secundo, & Leone decimo. In Tridentino hæreses antiquæ à Nouatoribus suscitatæ, nouæ inductæ

ductæ euersæ. Adeò verum est Pontifices in Concilijs vniuersalibus omnes hæreses condemnasse. Et quamquam Conciliorum opus illud fuisse videatur, cum à Pontificibus fuerint Congregata, & approbata, sine quorum consensu auctoritate carerent, ad Pontifices rediit virtus definitionis. Constat enim vniuersalia Concilia indigere Pontificis approbatione, vt eorum doctrina sit infallibilis. Id cùm ex aliis Conciliis pateat, tum ex Concilio Tridentino manifestum est, cuius Patres omnia in eo decreta Papæ subiiciunt, vti habetur in fine Concilij. Alius modus definiendi extra Cathedrã inuenitur in Cõciliis particularibus, siuè Nationalibus, siuè Prouincialibus dummodo sint, vel congregata de mandato Pontificis cum peculiari institutione, quale fuit Concilium Arausicanum secundum in sententia eorum, qui dicunt factum tempore Leonis Magni, cuiusmodi sunt, Baronius 5. Tom. Annal. An. 453. licet posteà mutarit sententiam. Bellarminus lib 2. de Conc. cap. 10. Vasquez Tom. 1. In 1. p disp 91. cap. 12. Suarez prol. 6. cap. 1. quibus olim ego assentiebar, & primum Concilium Toletanum sub eodem Leone primo, & Complutense sub Sixto quarto: siuè approbatum, qualia sunt multa, quæ afferuntur, & inseruntur in Decreto Canonum dist. 16. cap. 1. quæ ibi viginti quatuór numerantur. De his enim a fortiori affirmari debet, auctoritatem accipere à summo Pontifice, & sine illa non facere publicam fidem, vti habetur in eadem distinct. 17. c. 1. 2. 4 & 6. Interdum Concilium Diœcesanum redditur infallibile per auctoritatem Papæ, idque significatur c. *Ad abolendam*. De Hæreticis. Tit. 7. in Decretalibus. Itaque omnis infabilitas Conciliorum, siuè vniuersalium, siuè particula-

rium

tum à Papa tanquam à fonte proficiscitur; quare Diuus Augustinus, cùm loqueretur de condemnatione hæreseos Pelagianæ facta in Conciliis Africanis, attribuit condemnationem Romanis Pontificibus Innocentio, & Zosimo, quorum tempore congregata fuerant. Ita Epist. 157. *Cuius*, inquit, *hæresis vel auctores, vel certè acerrimi, notissimique suasores cùm Pelagius, & Calestius extitissent, Conciliorum Episcopalium vigilantia in adiutorio Saluatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicæ Sedis Papa Innocentio, & Papa Zosimo nisi correcti etiam egerint penitentiam, toto Christiano Orbe damnati sunt.* Vbi diligenter obseruandum vigilantiam tribui Conciliis: sententiam Pontificibus, eamque talem, quæ per totum Orbem se diffunderet, ceu non possent eò Concilia peruenire. *Toto*, inquit, *Orbe damnati sunt*, per quem erat Ecclesia diffusa, cuius Romanus Pontifex caput erat. Hoc iterum idem Augustinus testatur libro secundo retract. c. 50 his verbis: *Postea quam Pelagiana hæresis, cum suis Auctoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis, conuicta, atque damnata est.* Rursum *opera*, Conciliis; *sententia*, Pontificibus assignatur.

Hi duo definiendi modi olim in Ecclesia fuerunt, & hodiè si Pontifici placuerit, adhiberi possunt. Sed quoniam extremis hisce temporibus corruptela morum errores plurimos induxit; necessarium duxit Pontifex alium modum inuestigare faciliorem, quo hæreses, & mores corrigerentur; nam congregare Concilia vniuersalia, opus est arduum, & difficile; Concilia verò particularia, & si minori difficultate cogi possunt, non est tamen promptum, & expeditum

tum negotium: tum propter itinerum difficultatem: tum propter contentiones de ordine sedendi: propter longinquitatem Romanæ Sedis à qua peti debet confirmatio: tum præcipuè, quia in Prouinciis remotissimis Indiarum rari sunt Episcopi, quorum singuli vastissimas habent Diœceses: quare è re Christiana visum priuata Tribunalia Sanctæ Inquisitionis in ijs partibus instituere, & vnum generale, ac supremum in Romana Vrbe erigere: ea ratione, vt causæ priuatæ, & ordinariæ in ijs Prouinciis agitarentur, & deciderentur: aliæ vero grauiores, & difficiliores, & quæ ad Rempublicam Ecclesiasticam pertinerent, Romam ad hoc generale remitterentur. Congruum item erat, æquumque, vt ad illud Tribunal Sacrosanctum, quod erat cum Romano Pontifice proximè coniunctum, & arctissimè colligatum appellari, & prouocari à minoribus Tribunalibus iure posset. Licere autem Summo Pontifici nouos modos excogitare decidendi controuersias fidei, eosque in actum reducere manifestum est, quia nullo præcepto diuino, Conciliove iurisdictio Pontificia restringitur, vel coarctatur ad certum aliquem procedendi modum, & Pontifex plenam, & integram habet potestatem regendi, & pascendi oues suas. Itaque licitum est ei modos vtiles ad pasturam quoscumque adhibere. Apparet autem in loco illo Matth. 16. Vbi Christus Claues suas, cum ampla potestate, tradidit Petro *Tibi dabo Claues Regni Cælorum*, addito termino *Quodcunque* minime definito; Et Ioann. 21. *Pasce oues meas*, integro pascendi arbitrio Pastori relicto. Rem firmat ille alter locus Matth. 18. *Vbi sunt*, inquit, *duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Non præscripsit Christus vllum modum, formamue

con-

conueniendi in nomine suo. Liberum id reliquit Pontifici, qui à Spiritu Sancto didicit, quid è re futurum sit: *Ille vos docebit omnia*. Huius veritatis paradigma est ille *Gladius Filijs hominis* c. 1. Apoc. non vna tantùm parte acutus, sed *vtraque*, vt in vtranque vellet flecti posset, cui respondet ille alter *Gladius Cherubini* custodientis Paradisum, qui dicitur *versatilis*, Gen. 3. vt pro varietate moueri, & rotari posset. Nec ista excogitatio noui modi, mutatio appellari debet, cùm Pontifex non sustulerit alios modos definiendi per Concilia vniuersalia, & particularia, sed addiderit alium modum congruentem, & expeditum per Sanctam Inquisitionem. Decuit verò vt in Ecclesia Christi multiplex modus esset inquirendi, & definiendi veritatem. Nam cùm in Synagoga, quæ multo erat imperfectior sex modi fuerint consultandi Dominum, & veritatem inueniendi, qui extant in sacris literis, & ab Interpretibus referuntur, nimirùm per Prophetas: per Rationale: per vocem de Propitiatorio: per Ephod: per Somnia: per Sortes, vti notat Abulensis in Defensorio c. 40. 41. 42. oportebat, vt in Ecclesia Christi, quæ multò est perfectior Synagoga, plures etiam modi inuenirentur inuestigandæ, & definiendæ veritatis. Et verò vltra hos modos alius modus inuentus est à Rege Iosaphat, qui refertur lib. 2. Paralip cap. 17. scilicet per Viros Inquisitores, vt notat idem Abulensis in eum locum. q. 14. & 16. his verbis. *Ad confirmandum in Fide erant isti Sacerdotes, & Leuitæ, & Principes: Sic enim apud nos Inquisitores hæreticæ prauitatis*. Hoc exemplo roboratur modus instituendi hoc Tribunal Principum Sacerdotum, & Leuitarum Sacræ Inquisitionis Romanæ. Ecclesia quippe est Aurora consurgens, quæ

quidem digito, & ipse *digitus Dei* corda mouet, sed pluribus linguis mentes erudit. Quin ipsemet cùm sit vnus, & vnum donum, diuiditur tamen in Septem dona, vt ditet Ecclesiam. Spectat ad Thesaurum diuinę Sapientiæ multifariàm suos docere fideles, & nouas excogitare rationes tradendæ doctrinæ. Quare non est mirum Romanum Pontificem Ecclesiæ caput, & Patrem, nouum istum modum, definiendi, aut decidendi controuersias Fidei excogitasse, qui certè, & vtilis est, & necessarius. Vtilis, quia sine dispendio itinerum compendium facit, & moras præcidendo celeriter expedit causas, & præsens distãtiam, & longinquitatem excludit: Necessarius quia veritates fidei è Cathedra pronunciat affiante Spiritus Sancti aura conceptas, & versas in sacra Oracula; ac hæresibus, ita se opponit, vt nec permittat serpere, nec grassari. Audent hæretici dissiti ab Vrbe, & à Pontifice errores suos spargere: non audent tamen Romæ coram Pontifice cristas attollere, seque obijcere Apostolicæ dignitati, vel potestati. Romæ nec oriuntur hæreses, nec adolescunt Summa Beatissimi Patris dextera collidit. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad Petram* Psal. 136. Alibi nascuntur, crescunt, corroborantur, distantia, & mora inualescunt, Romæ vbi Petra est præsens, tum re, tum virtute adolescere nequeunt, & vix oriuntur, cum ad Petram alliduntur, & confringuntur. Alibi corpus hæreseos vulneratur, & exorto iam capite, & exerto difficiliùs percellitur. Romæ non permittitur Caput exeri; nempe de Romana Ecclesia dictum Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum*, nec finitur Draco caudam euoluere, qua se tegat, nec spiris inuolui, vt se tutetur, sed vno ictu fidei, Clauibus in Clauas conuersis,

dersis, eius caput comminuitur, & conquassatur, & frangitur. Nihil itaque hoc Tribunali potuit esse nobilius, nihil exploratius, nihil perfectius, nam hic Pontifex cum fratribus suis Cardinalibus, qui cum eo vnum non modò Ecclesiasticum, sed etiam intimum corpus efficiunt, quique summum Monarchiæ sacræ obtinent gradum coniunctus, Regulam Fidei, & Iudicem controuersiarum pro dignitate agit. Hi quippe ad eum consulta sua iam diligenter discussa, & maturè expensa, explorata veritate referunt, ac responsum à Pontifice accipiunt, tanquam cęleste Oraculum, cui omninò fides sit adhibenda; *Hoc est Tabernaculum Dei cum hominibus*. Apocal. 21. Vbi de Propitiatorio inter Cherubinos responsa reddi solita. Numeri 7. à Summo Sacerdote intra Sancta Sanctorum cum Deo loquente, qui modus fuit nobilissimus in veteri Testamento percipiendæ & publicandæ veritatis, vti obseruat Tostatus in Defen 2. p. cap. 43. Quod iam tum ad Sanctam Ecclesiam Romanam destinabatur, quique à sexcentis ante natum Christum annis apud Hebræos defecerat; Eo vtitur Pontifex Romanus Christi Vicarius, successor Petri *De medio petrarum dans voces* Psal. 103. è Cathedra, in qua sedet Pontificia procedentes, quæ Bullis exceptæ, ac solemni conceptæ forma ad valuas Sancti Petri, & in Acie Campi Floræ affixæ fidem publicam faciunt, & toti Ecclesię Catholicæ tanquam iusta, & legitima diuinę veritatis Oracula credenda proponuntur.

FINIS.

